A Unam ex iis amabat Polycritam, eamque non pro captiva, ſed pro uxore habebat. In expeditione cùm ſolemne Meleſiis ſuperveniſſet, omnibus ad pocula & epulas converſis, rogavit Diognetum Polycrita, Liceretne partem bellariorum mittere fratribus? Annuente eo & jubente, libellum plumbeum placentæ includit, mandatque per nuncium fratribus, quæ miſiſſet, ea ut ipſi per ſe comederent. Qui cùm plumbum reperiſſent, & ſcriptutam legiſſent Polycritæ, ea nocte hoſtes ſomno vinoque ſepultos oppreſſere. *Plut. de virt. mul.*

M. Fabius, ab Auſonibus captus, in Sidicinorum urbe Cales ruptis vinculis ex muro hoſtium ſe reſte dimiſit. Is ad M. Val. Corvini conſulis præſentiam conſtitutus, auctor illi fuit, ut Calenos, vino & epulis feſto die ſopitos, repentè adoriretur. Quo facto, haud majore eſt certamine oppidum captum, quàm Caleni acie fuiſſent nuper victi. Calibus captis ac direptis, conſul Romam rediit, Calenumque triumphum egit. *Sab. lib.4. Ennead.4.*

M. Marcellus, cùm Syracuſanum quendam Soſiſtrum ad proditionem ſolicitaſſet: ex eo cognovit remiſſiores cuſto- B dias fore die feſto, quo Epicydes præbiturus eſſet epulum. Inſidiatus igitur hilaritati, & quæ eam ſequebatur ſocordiæ, munimenta conſcendit: vigilibuſque cæſis, aperuit exercitui Romano urbem nobilibus victoriis claram. *Frontinus lib.3. cap.3.*

Gothi & Taiſalii, qui Iſtro tranſmiſſo, in Thraciam penetraverant, occupatis oppidorum agris, tanta cum inſolentia vagabantur, ut nemo eis ex præſidiis occurrere auderet. Hos perdendi Theodoſio Magno, ad Imperii ſocietatem à Gratiano evecto, talis oblata occaſio eſt. Erat apud eum Modares, regio apud Scythas ſanguine ortus, ſed propter fidelem navatam Romanis operam, imperio ab eis militari ornatus. Hic cùm, imprudentibus Gothis, magnam militum manum in colle quodam haberet, atque hoſtes in campis temulentos ac propè ſecuros jacere per exploratores didiciſſet, ex improviſo cum ſuis deſcendit, atque imparatos adortus, pleroſque aut vulneribus, aut morte affecit. Viris autem deletis, in mulieres & pueros impetus factus, plauſtrorum quatuor millia capta, ex quo quantus aut captivorum, aut cæſorum fuerit numerus, conjici poteſt. Ita Theodoſius eo- C dem tempore Orientem & accepit, & conſervavit. *Sigon. lib.8. Imp. Occid.*

Chriſtiani Ptolemaidem obſidentes, tanta fame preſſi ſunt, ut etiam ab hoſte annonam peterent. Saladinus benè gerendæ rei opportunitatem nactus, caſtra rerum omnium copia referta ſine ullo cuſtode dimiſit. Ad quæ diripienda cùm paſſim nullo ſervato ordine Chriſtiani accurriſſent: Saladinus rediens, multos incautos, & nil tale opinantes oppreſſit. Non deſeruere tamen tam gravem & diutinam obſidionem Chriſtiani, licèt, ad cætera mala, dyſenteria quoque in caſtris laboratum ſit. *Plat.*

Sub Scotorum Rege Davide novenni, regnum à gubernatoribus duobus regebatur. Eduardus Baliolus, Joannis Regis F. ope Eduardi III. Angli regnum repetebat, ſex millibus Anglorum datis, etſi Eduardi ſoror Davidi nupta eſſet. Ad Duplyn vicum, haud procul ab Erna fluvio, Scoti conſederant, paucitatem hoſtium contemnentes. Eduardus intempeſta nocte caſtris milites educit, ac per occultiſſimos tramites ad terga hoſtium circumducit: nam ibi, cùm in aliis partibus negligentes ſtationes eſſent, nullas eſſe per ſpeculatores ſuos cogno- D verat. Ernam fluvium per vadum, quod Andreas quidam, Tulibart cognomento, infixo palo eis oſtenderat, tranſeunt in media caſtra, ad prætorium penetrant, Donaldum ducem dormientem confodiunt: cæteros in tenebris, ignaros à quibus cæderentur, niſi quòd faſcia alba brachium Angli induerant, ut à ſe invicem internoſcerentur, ingenti clade effecerunt, cùm nec deditis, nec ampliſſ. lytra afferentibus parcerent. Strages igitur maxima, ac qualis nunquam antea, cùm vulgo, tum nobilibus, ſupra quàm dici poteſt, illata eſt. Pauci, qui manus feſſas evaſerant, conglobantes ſe ſine duce, ſine ordine, iterum fœdiſſimè ab hoſtibus ſanguine hoſtili conſperſis cædibuſque rabidis trucidati fuere. Pauci admodùm fuga ſervati ſunt. Cæſa fuere nobilium tria millia: reliqui ex plebe ſine numero. *H. Boeth. lib.15.*

Frider. II. Imp. Parmam biennio jam obſeſſam, fame domare inſtituerat. Sagittarii Germani & Saraceni in magnum coacti numerum, ad Parmæ portas foſſaſque conglobati, congredi auſos, aut ſtantes in propugnaculis quamplurimos vulnerabant. Tum Gregoras Montelongus Pontificis legatus, & Philipp. Vicedominus Lombardorum præſidio præfectus, ſtructis in urbe ordinibus, quanta maximè poſſunt celeritate E erumpunt, urbem Victoriam ex improviſo adoriuntur. Viam, quæ à caſtris in urbem recta lataque ducebat, otioſi milites Friderici inermes deambulando compleverant. Fridericus ipſe, ſcortorum gregi per tentoria colluſurus intererat. Ortus à ſagittariis ad prima eruptionis ſigna clamor, in viam ſubitò portamque relatus: inermes viſendi ſtudio ſe conculcantes, hoſtem adventare conſpicati, dum arma arripere properant, portam reliquere hoſtibus apertam. Fridericus fugiens, præter dedecus & ignominiam, aurea quoque & argentea, ac penè majora quàm imperatoria perdidit ornamenta: in quibus corona fuit mirabilis pretioſiſſimaque jaſpidum ornatu, quam pondere ac forma majorem, quàm quæ capitis Imperatorii geſtamen ſit, ad divitiarum (quas maximas poſſedit) oſtentationem, in cubili ſemper habebat. Victores, Victoriæ urbem ſolo æquarunt: nulla re magis alia damnandi, quàm quòd in humani ſanguinis, non magis barbari quàm Italici, effuſione modum exceſſere. *Crantz. lib.8. Sax. c.14.*

Giſelbertus Lotharingiæ Dux & Ebberhardus Comes contra Othon. I. Cæſarem conſpiraverant, eumque Briſacum obſidentem invadere ſtatuerant, ſuperatoque Rheno, prædas F agebant. Superveniunt Uto Hermanni Svevorum Ducis frater, & Conradus Sapiens, in auxilium regis: qui veſtigia hoſtium legebant, occaſionem inſidiarum captantes. Obvius illis fit ſacerdos, cui Lotharingi jumentum, quod unicum habebat, abſtulerant, & interrogatus de Comite & Duce, eos dimiſſis trans Rhenum cum præda militibus, in villa proxima corpora curare reſpondit. Uto hoc indicio illis improviſus ſupervenit. Ebberhardus occiditur. Giſalbertus cum equo Rhenum tranare volens, flumine abreptus periit. Sic minimo labore victoria parta maxima. Otho dum ſacra adit, nuncium de Victoria accipit: ſtatimque equo deſiliens, in genua provolutus, Deo gratias egit, & cum univerſo comitatu ſuo ad templum properavit. *Crantz. lib.3. Sax. c.19.*

LUDOS SPECTANTES,

Concionantes.

Feriantem aliquando Cæſaris equitatum in Africa (nam fortè Afer quidam ſaltationem oſtentabat, ſimulque ad mira- G culum uſque canebat tibia; quo oblectati milites, conſidebant, atque equos commiſerant pueris) circunfuſi repentè Pompejani, duce Scipione, partim obtruncarunt, partim effuse ad caſtra fugientibus Juliani uno agmine irruperunt. Quòd ni Cęſar ipſe, unàque Aſinius Pollio ſuppetias ferentes extra vallum fugam repreſſiſſent, tranſactum erat bellum. *Plut. in Cæſ.*

Caroli V. Cæſaris in regno Neapolitano copiæ contra Philippum Auriam, Andreæ Auriæ Gallicæ claſſis præfecti legatum, profecturæ, ad inſulam Capreas contenderunt, atque ibi juxta fontes ex jucundiore mora largiùs epulatæ, Conſalvo etiam Barectæ Luſitano cucullato, qui religioſæ ſolitudinis cauſa illis in rupibus tugurium condiderat, concionanti aures præbuerunt. Dum prolixè atque inflammatè Barecta concionaretur, Biordus Agneſius Neapolitanus, non tam Gallicæ factioni addictus, quàm Hiſpanorum arrogantiæ infenſus, in adverſum inſulæ littus ſe dimiſit, & veloci vectus navicula ad Philippum advolavit, primuſque certum nuntium tulit de numero apparatuque, & ducibus Cæſarianæ claſſis. Qua occaſione Philippus uſus, nobilem à Cæſarianis victoriam reportavit. *Iovius lib.25. Hiſt.*

H

ACIEI INSTRUCTIONE HOSTEM

Sustinere.

☞ *Confer cum hoc Titulum, Loci opportunitate hoſtem includere, vel ſuſtinere. Hic Locati, illic Loci habetur ratio. Item Tit. Militum diſpoſitio & ordines, quatenus diſpoſitione apta hoſtes ſuperantur.*

Meſtor apud Homerum *Iliad.* β debellandi cum Trojanis modum enarraturus, *ἐταξίαν* ſuadet Agamemnoni, ut delectu habito aciem inſtruat, & in ordines certos ſegreget, per nationes, tribus atque claſſes.

Hoſtes inſidentur, ex quibus impetum faciat. Græc: ἄνδρας *ab*

Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
Ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγη, φῦλα δ φύλοις.
Γνώσῃ ἔπειθ', ὅς θ' ἡγεμόνων κακὸς, ὅς τε καὶ ἐσθλός.

Lacedæmonii patria diſciplina traditum habebant, ne hoſtes

A cupidiùs urgerent, & providentiùs curarent, ne turbarentur ordines, quàm ut fugientes cæderent. *Pauſanias in Meſſen.*

Iidem, duce Agide Arcades bello aggreſſi, aciem ſuam dilatarunt, quò in hoſtilem aciem omni ex parte frontem obverterent. Aratus Sicyonius, qui medium agmen Agici præpoſitus tuebatur, re ita cum Arcadibus compoſita, cum ſua manu fugam ſimulavit. Ea fugæ ſpecie acies in lunæ modum curvata eſt. Agis fugientes urget, & Spartani à cornibus utrinque Imperatorem ſuum cupidiùs ſecuti, à Mantinenſibus denſa incinguntur corona, & nobili illa clade ad Mantineam affliguntur. *Pauſan. in Arcad.*

Pauſanias Rex Spartanorum prudenti cornuum permutatione cum Athenienſibus ad Platæas vicit Perſas. *Plutarch. in Ariſtide.*

Pammenes Thebanus, conſpecta Perſarum acie, quæ robuſtiſſimas copias in dextro cornu collocatas habebat, ſimili ratione & ipſe ſuos ordinavit, omnemque equitatum, & fortiſſimum quemque peditum, in dextro cornu: infirmiſſimos autem contra fortiſſimos hoſtium poſuit: præcepitque, ut ad primum impetum eorum ſibi fuga conſu- B lerent, & in ſylveſtria confragoſaque loca ſe reciperent. Ita fruſtrato robore exercitus, ipſe optima parte virium ſuarum, dextro cornu totam circuivit aciem hoſtium, & evertit. *Front. lib.2. c.3.*

Phormio cum navibus triginta ſolvens adverſus hoſtium naves quinquaginta, ſuos in quinarios ordines diſpoſuit, & in aciem adverſariorum ipſas rectis ordinibus duxit. Adverſariis verò ob nimiam alacritatem diſperſis, ac velociſſimis triremibus à longo cæteras relinquentibus, Phormio intellecta diſtractione ipſarum, convertens ſuam Pentanajam, in appropinquantes ſibi triremes impetum facit: atque his ſubmerſis, adversùs alias navigavit. Cæteris triremium præfectis hæc eadem facientibus, hoſtes fugam dederunt. *Polyænus lib.3.*

Caſtrovius Lacedæmonius, cùm in auxilium Ægyptiis adversùs Perſas veniſſet, & ſciret, firmiorem eſſe Græcum militem, magiſque à Perſis timeri: commutatis armis, Græcos in prima poſuit acie, & cùm illi æquo marte pugnarent, ſubmiſit Ægyptiorum manum. Perſæ cùm Græcis, quos Ægyptios opinabantur, reſtitiſſent: ſuperveniente multitudine, quam C ut Græcorum expaverant, ceſſerunt. *Front. lib.2. cap.3. At Polyænus lib.1.* Gaſtronem vocat.

Epaminondas adversùs Lacedæmonios pugnaturus, cùm utraque acies ſolum expectaret confligendi ſignum, ipſe ante aciem magnum equorum numerum excurrere juſſit, ita ut concitato ingenti pulvere, hoſtium conſpectus adimeretur. Per id tempus in acie ſua ordines immutavit, ut cum poſtea confligeretur, ipſe à tergo in hoſtes, qui id minimè adverterant, impetum faceret, quæ res ei victoriam facillimè peperit. *Plut.*

Philippus Macedonum Rex adversùs Illyrios gerens bellum, ut animadvertit frontem hoſtium ſtipatam electis à toto exercitu viris, latera autem infirmiora, fortiſſimis ſuorum in dextro cornu collocatis, ſiniſtrum latus hoſtium invaſit: turbataque acie tota, victoriam obtinuit. *Fulg. lib.7. c.3.*

Idem Chæroneæ cùm ſciret Athenienſes eſſe celeres & inexercitatos, Macedones autem frequente uſu exercitatos: in longum acie producta, continuò perturbavit Athenienſes, & faciles ad capiendum reddidit. *Polyæn. lib.4.*

D Alexander ad Arbela poſtremam pugnam cum Dario committebat. Non exiguus Perſarum numerus circumibat, & Macedonum jumenta diripiebat. Parmenion hortabatur Alexander, ut jumentis opem ferret. Qui, Nequaquam, inquit, phalanx eſt diſſolvenda, ſed cum hoſtibus ipſis prælium faciendum. Nam ſi victi fuerimus, non indigebimus ampliùs jumentis: ſin evaſerimus victores, non ſolùm noſtra, verùm etiam hoſtium obtinebimus. *Polyænus lib.4. & Front. lib.2. c.3.*

Eodem prælio Darius Rex medium prælii faciendi ſpatium tribulis reſperſerat. Id conſpicatus Macedo, dextrum cornu ducens, recta juſſit ſequi, ut circumiret locum tribulis conſtratum. Perſa contra ſuos educere ad lævam conatus, equitatum, quem certis ordinibus continebat, diſtraxit, atque cum diſtractis impreſſionem fecit. Alexander ſimiliter & Parmenion à lævo cornu tribulos declinarunt, & hoſtes fugam dare coegerunt. *Polyæn.*

Idem in pugna adversùs Porum, partem equitatus in dextro cornu ſeparatim conſtituit, reliquum in campo reflexo: Phalangem autem & elephantos in cornu ſiniſtro collocavit. Porus multis elephantis oppoſitis, ipſe à parte ſiniſtra in principe E fuit elephanto. Reliquos autem elephantos ex intervallo quinquagenum pedum uſque ad cornu dexterum ordinavit. Spatium verò relictum inter belluas, pedeſtribus militibus replevit, ita ut ingentis cujuſdam muri imaginem referrent elephanti turribus ſimiles, pedites verò parietibus inter turres interjectis. Hìc Alexander mandans, ut pedeſtres copiæ eos invaderent: ipſe in equitatum vehementiorem impetum dedit, volens ſuperare hoſtium capita. His animadverſis, Porus contra ſuis præceptum dedit. At beſtiæ non evadentes, multis in locis ordinem interrumpebant. Macedonibus laceratas partes aggredientibus, cogebatur ſe convertere, & cominùs pugnam facere. Interim equites Alexandri circumvenientes à tergo, in unum Indos cogunt, perfectiſſimamque victoriam conſequuntur. *Polyæn. lib.4.*

Carthaginenſes cum rotundis navibus atque triremibus in Siciliam navigabant. Dionyſius re cognita, infinitas naves eis obviam duxit. Carthaginenſes claſſem conſpicati, turbinatas quidem naves in ambitu quodam & circuitu alteram ab altera ſatis magno intervallo conſtituerunt, & in harum medium triremes collegerunt: magnoque virorum numero in onerarias impoſito, ſe ab impetu hoſtium defenderunt, perque relicta intervalla cum triremibus enavigarunt: & in Dionyſii na- F ves incurſione facta, partim eas ſubmerſerunt, partim armamenta earum planè contriverunt, & ad nihilum redegerunt, *Polyænus lib.6.*

Artaxerxes adversùs Græcos Cyro militantes, qui Perſidem intraverant, cùm multitudine ſuperaret, latiùs quàm hoſtes acie inſtructa, in fronte equitem, levemque armaturam in cornibus collocavit: atque ita ex induſtria lentiùs procedente media acie, copias hoſtium cinxit, cæciditque. *Frontinus lib.2. c.3.*

Pyrrhus Rex pro Tarentinis apud Aſculum, ſecundùm Homericum verſum, quo peſſimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotaſque, ſiniſtro Brutios atque Lucanos cum Salentinis, in media acie Tarentinos collocavit, equitatum & elephantos ſubſidiis eſſe juſſit. Contra Coſſ. aptiſſimè diviſis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in ſubſidiis collocarunt, & his immiſcuerunt auxilia. Utrinque XL. millia conſtat fuiſſe. Pyrrhi dimidia pars exercitus amiſſa, apud Rom. quinque millia deſiderata ſunt. *Frontinus.*

Hannibal Cannas pugnaturus, quod roboris in exercitu eſ- G ſet, ac fortiſſimos quoſque in cornibus locavit: mediam aciem turba replevit ignaviſſimorum. Eo uſus eſt longè ante reliquam aciem prominente cuneo. Edictum præſtantiſſimis erat, ubi hos impuliſſent Romani, ac pedem referentibus inſtantes, vacuo medio & ſinum dante, in mediam aciem irruiſſent, ut properè reductis aliis tranſverſos invaderent, & circumfuſi clauderent à tergo. Id quod potiſſimùm tantæ fuit ſtragis cauſa. Ut cum media acies pedem retulit, atque incurrentes excepit Romanos, & figuram Hannibalis acies ad modum lunæ commutavit, delectorumque ductores alis circunductis adorti averſos ſunt, cunctos, qui antequam coirent hoſtium cornua, non receperant ſe, circumventos ceciderunt, contrucidaveruntque. *Plut. in Fabio.*

Idem adversùs Scipionem, in Africa, cùm haberet exercitum ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non ſolùm ex diverſis partibus, ſed etiam ex Italicis conſtabat: poſt elephantos LXXX. qui in prima fronte poſiti hoſtium turbarent aciem, auxiliares Gallos, & Ligures & Baleares Mauroſque poſuit, ut non H fugere poſſent, Pœnis à tergo ſtantibus: & hoſtem oppoſiti ſi non infeſtarent, at certè fatigarent. Tum ſuis & Macedonibus (qui jam feſſos Romanos integri exciperent) in ſumma acie collocatis, noviſſimos Italicos eos conſtituit, quorum & timebat fidem, & ſegnitiem verebatur: quoniam pleroſque eorum ab Italia invitos extraxerat. P. Scipio Africanus adversùs hanc formam robur legionis triplici acie in fronte ordinatum, per haſtatos & principes & triarios oppoſuit: nec continuas conſtruxit cohortes, ſed manipulis inter ſe diſtantibus ſpatium dedit, per quod elephanti ab hoſtibus acti, facilè tranſmitti ſine perturbatione ordinum poſſent: ea ipſa intervalla expeditis velitibus implevit, ne interluceret acies: dato eis præcepto, ut ad impedimentum elephantorum, vel retrò vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua diviſit: & dextro Romanis equitibus Lælium, ſiniſtro Numidis Maſiniſſam præpoſuit. Quæ tam prudens ordinatio, non dubiæ cauſa victoriæ fuit. *Frontinus.*

Hanthippus Lacedæmon. in Africa adversùs M. Attilium Regulum levem armaturam in prima acie collocavit, in ſub-

Aſſidio autem robur exercitus: præcepitque auxiliaribus, ut emiſſis telis cederent hoſti: & cùm ſe intra ſuorum ordines recepiſſent, confeſtim in latera diſcurrerent, & à cornibus rurſus erumperent, exceptumque jam hoſtem à robuſtioribus & ipſi circumvenirent. *Front. lib. 2. cap. 3.*

Sertorius idem in Hiſpania adversùs Pompejum fecit. *Idem ibidem.*

Cn. Scipio in Hiſpania adversùs Hannonem ad oppidum Indibile, cùm animadvertiſſet Punicam aciem ita directam, ut in dextro cornu Hiſpani conſtituerentur, robuſtus quidem miles, ſed qui alienum negotium ageret: in ſiniſtro autem Afri minùs viribus firmis, ſed animi conſtantioris: reducto ſiniſtro latere ſuorum, dextro cornu, quod validiſſimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoſte conflixit. Deinde fuſis fugatiſque Afris, Hiſpanos (qui in receſſu ſpectantium more ſteterant) facilè in deditionem compulit. *Idem ibid.*

Scipio Æmilianus ad Numantium, omnibus non cohortibus tantùm, ſed centuriis, ſagittarios & funditores interpoſuit. *Front. lib. 4. c. 7.*

Idem adverſus Haſdrubalem Ducem Pœnorum in Hiſpania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatum produxit exercitum, ut media acies fortiſſimis fundaretur. Sed cùm hoſtes quoque eadem ratione aſſiduè ordinati procederent: Scipio eo die quo ſtatuerat decernere, commutavit inſtructionis ordinem: & firmiſſimos, id eſt, legionarios in cornibus collocavit, ac levem armaturam in media acie, ſed retractam. Ita cornibus, quibus ipſe prævalebat, infirmiſſimas hoſtium partes lunata acie aggreſſus, facilè fudit. *Front. lib. 2. c. 3.*

Metellus in Hiſpania, eo prælio, quo Hirculejum devicit, cùm comperiſſet cohortes ejus, quæ validiſſimæ vocabantur, in media acie locatas: ipſe mediam ſuorum aciem reduxit, ne ea parte antè cum hoſte confligeret, quàm cornibus confligatis, medios undique circumveniſſet. *Idem ibid.*

Livius Salinator & Cl. Nero, cùm Haſdrubal bello Punico ſecundo decertandi neceſſitatem evitans, in colle confragoſo poſt vineas aciem direxiſſet: ipſi deductis in latera viribus, vacua fronte ex utraque parte circumvenerunt eum, atque ita aggreſſi ſuperaverunt. *Ibid.*

Eo prælio, quo de regno Macedonico Romani cum Perſeo decertarunt, videns L. Paulus conſul Romanos in fugam pronos, quòd phalangem Macedonicam haſtarum ſtrue inſtar valli ingruentem undique ſuſtinere & perſtringere non poſſent, conſcidit paludamentum ſuum. Quia verò loco in æquali non ſervabat ob longitudinem ſuam acies confertam teſtudinem, advertitque Paulus, multis locis interruptam Macedonum phalangem eſſe, ac multa aperuiſſe intervalla, ut fieri in magnis exercitibus ſolet, variis pugnantium impreſſionibus hinc impulſam, hinc inſtantem: properè advolans diſſolutis ordinibus imperat, quà data intervalla eſſent, & hiabat hoſtium acies, ut inſinuarent ſe, & pugnarent: non uno loco cum cunctis, verùm catervatim multa prælia & confuſa ſererent. Et ubi Paulus, duces docuerunt milites, ut primùm ſubierunt & penetraverunt ordines illorum, hinc in nuda latera Macedonum incurrentes, illinc à tergo eos circumvenientes, & vis & opis commune diviſa phalange eſt diſſolutum, & Romani victores extitere. *Plut. in Æmilio.*

Apud Vercellas contra Cimbros & C. Marius, & Luctatius Catulus dimicare parabant. Habebat Catulus ſub ſignis xx. millia trecentos milites. Mario parebant xxxiii. millia: qui in cornua diſtributi, mediam aciem, quam obtinebat Catulus, complectebantur. Marium autem ferunt alis ſperantem ſe & cornibus in phalangem hoſtium incurſurum, quò propria ſuorum militum victoria, atque exors Catulus prælii foret, neque congrederetur cum hoſtibus, ut in prominentibus ſolet frontibus & cornibus productis, media acie ſinum faciente, ad eum modum digreſſiſſe exercitus. Perinde Catulum quoque ipſum in his ſe ajunt defendiſſe, magnam invidiam adverſus ſe Marii inſectatum. Cæterùm immenſo excitato pulvere, qui conſpectum obtexit utrinque exercitum, Marius, quò primus eum tulit impetus ad inſectandum, trahens ſecum copias ſuas, aberravit ab hoſtibus, prævectuſque aciem eorum, diu in campo erravit: in Catulum verò barbari fortè delati, præliumque potiſſimùm conſtitit circa illum, atque illius legiones, in quibus ſe ait Sylla ſtetiſſe. *Plutarch. in Mariol.*

Archelaus Mithridatis Dux adverſus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hoſtem falcatas quadrigas locavit: in ſecunda acie phalangem Macedonicam: in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitivis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimùm fidebat: levem armaturam in ultimo ſtatuit: in utroque deinde latere equitatum, cujus amplum numerum habebat, circumeundi hoſtis cauſa poſuit. Contra hæc L. Sylla foſſas amplæ latitudinis in utroque latere duxit, & capitibus earum caſtella communivit: qua ratione, ne circumiretur ab hoſte, & peditum numero, & maximè equitatu ſuperante, conſecutus eſt. Triplicem deinde peditum aciem ordinavit, relictis intervallis, per levem armaturam, & equitem, quem in noviſſimo collocaverat, ut, cùm res exegiſſet, mitteret: tum poſtſignanis, qui in ſecunda acie erant, imperavit, ut denſos numeroſoſque palos firmè in terram defigerent: intraque eos appropinquantibus quadrigis ante ſigna, ſuam aciem recepit: tum demùm ſublato univerſorum clamore, velites & levem armaturam ingerere tela juſſit. Quibus factis, quadrigæ hoſtium aut implicitæ palis aut exterritæ clamore teliſque, in ſuos converſæ ſunt, turbaveruntque Macedonum ſtructuram. Qua cedente, cùm Sylla ſtaret, & Archelaus equitem oppoſuiſſet, Romani equites ſubitò emiſſi averterunt eos, conſummaveruntque victoriam. *Frontinus.*

Cn. Pompejus adverſùs C. Cæſarem paluſtri prælio Pharſaliæ triplicem inſtruxit aciem: quarum ſingulæ denos ordines habuerunt in latitudinem. Legiones ſecundùm virtutem cujuſque firmiſſimas in cornibus & in medio collocavit: ſpatia his interpoſita tyronibus ſupplevit. Dextro latere DC. equites propè flumen Enipeum, quod & alveo ſuo & alluvie regionem impedierat: reliquum equitatum in ſiniſtro cornu cum auxiliis omnibus collocavit, quò Cæſarem impellerent, & conciderent legionem decimam, quæ habebatur longè fortiſſima, in qua conſiſtere Cæſar, cùm dimicaret, ſolebat. Adverſus hanc ordinationem C. Julius Cæſar & ipſe triplici acie, diſpoſitis in fronte legionibus, ſiniſtrum latus, ne circuiri poſſet, admovit paludibus. In dextro cornu poſuit equitum, cui velociſſimos miſcuit peditum, & ad morem equeſtris pugnæ exercitatos: ſed deinde cohortes in ſubſidio retinuit, ad res ſubitas: ſed dextro latere converſas in obliquum, unde equitatum hoſtium expectabat, collocavit: nec ulla res ad victoriam plus eo die Cæſari contulit. Effuſum namque Pompeji equitatum inopinato ſubinde lati excurſu averterunt, cædendumque tradiderunt. *Front. & Plut. in Pompejo.*

In ea ſtrage, qua Venetus exercitus in Forojulii ad amnem Liſontium à Turcis circumventus, & ferè ad internecionem cæſus eſt, anno Sal. 1476. manifeſtè perſpectum eſt, Turcas arte magis ac multitudine quàm viribus valere. Nam ſi Hieronym. Comes, legiones ſuas inimicorum legionibus non in directum, ſed per latus oppoſuiſſet, ipſe medius inter primam ac tertiam legionem ab utroque latere in ſimilitudinem Romanorum cornuum ſibi adhærentes extitiſſet, ſicque exercitu velut in unum corpus redacto, Turcæ tam facilè ipſum circumdare, ac penetrare, haud potuiſſent, ut fecerunt, ac toties facturi ſunt, quoties præpoſtero hoc ordine cum illis pugnabitur. *Jovius in vita Mahometis II.* Eadem ſanè lunata acie ad Nicopolim Gallos & Sigiſmundum Hungariæ Regem ingenti clade affecerunt anno 1389. *Jov. in Bajazete I.*

Quum ad Papiam in Parco Cæſaris Caroli V. & Franciſci Galliæ Regis copiæ congrederentur, Georg. Froniſpergus & Sithius admirabili peritia ad includendos hoſtes exporrecta utrinque acie legionem in medium ſinum exceptam, duobus ſtatim expanſis & recurvatis cornibus præcinxere, eamque pertinaciſſimè reſiſtentem in medio totam contrucidavere: ita ut una tantùm tribus legionibus oppoſita, & ob id infelici virtute repugnante, nemo penè Nigrorum Germanorum evaſerit cum Gallis militantium. *Jov. lib. 6. in Piſcaric.*

GENERE PUGNÆ HOSTEM
Sustinere et debilitare.

Cyri Perſarum Regis in bello ſemper conſilium fuit, ut ſi hoſtes tumultuoſiùs irruerent, taciti milites impetum exciperent: ſi autem taciturni eſſent, clamore & ſtrepitu acies invaderent. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 7.*

Epaminondas Dux Thebanorum, adverſùs Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte ejus decurrere equitibus juſſis, cùm ingentem pulverem oculis hoſtium objeciſſet, expectationemque equeſtris certaminis prætendiſſet: circumducto pedite ab ea parte, ex qua decurſus in adverſam hoſtium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cæcidit. *Frontinus lib. 2. capite 2.*

Ageſi-

Ageſilaus cum Thebanis prælium faciebat. Qui, ut Laconicam phalangem disjicerent & perrumperent, fortiter pugnabant, & utrinque magna ſtrages edebatur. Ageſilaus promulgavit ſuis: Deſinentes è furioſa pugna, in diverſas tantummodò partes disjungamur. Quibus diſcedentibus, Thebani perrumpentes fugam capeſſebant. Ageſilaus in fine ipſis inſtabat, neque ampliùs metus ad utroſque, ſed duntaxat ad fugientes pertinebat. *Polyæn. lib. 2.*

Antigonus I. ſi fortiorem ac validiorem manum haberet, tranquilliùs & moderatiùs bellum adminiſtrabat: ſin imbecilliorem, quàm ut violentum periculum ſuſtinere poſſet, impreſſiones faciebat: viriliter obitam mortem, quàm turpem & ignavam vitam, magis expetendam arbitratus. *Polyænus lib. 4.*

C. Jul. in acie Pharſaliæ dimicaturus cum Pompejo, & animadvertens magno ſeptum equitatu ſiniſtrum hoſtium cornu, metuenteſque armorum ſplendorem, ſex cohortes ex ſecunda acie detraxit, ac ponè decumanos collocavit: præcepitque quieti ut conſiſterent, ne perciperet eos hoſtis: ubi inveherent equites, per principia procurrerent, ne pila emitterent, ut ſolent fortiſſimi ad gladios ſtringendos properantes: verùm ſuperiora peterent, hoſtiumque oculos & faciem ferirent convulnerarentque, haud ſubſtituros cum fuco ſuo pulchellos iſtos & floridos ſaltatores, neque facturos, ut contra appetens oculos ferrum intuerentur. *Plut. in Pompejo, & Polyæn. lib. 8.*

L. Lucullus contra Tigranem Regem pugnaturus, conſpicatus cataphractos equites ſub tumulum collocatos, præcepit equitibus ſuis, ut in eos maximis incurrerent armis, nihil aliud curaturi, quàm ut gladiis illorum haſtas conciderent: quibus conciſis, fore ut illi pugnæ inutiles omninò redderentur. Converſus ad milites alios: Non pilis hodie, aut lanceis opus eſt, inquit: gladiis tantùm res agenda. Itaque ſtrictis ſimul enſibus, ſuris, femoribuſque figendis tantùm incumbendum eſt, qua parte cataphracti equites exarmati ſunt. Quod cùm ab equitibus peditibuſque, ut præceptum erat, ſtrenuè fieret: in fugam hoſtes conjecti, paucis evadentibus, trucidati ſunt. *Pont. lib. 1. c. 1. de Prudentia.*

Imp. Cæſar Germanicus, cùm ſubinde Catti equeſtre prælium in ſylvas refugiendo ducerent: juſſit ſuos equites, ſimulatque ad impedimenta ventum eſſet, equis deſilire, pedeſtrique pugna confligere. Quo genere conſecutus eſt, ne quis non locus ejus victoriam moraretur. *Front. lib. 1. c. 3.*

Scythæ patrio ritu pugnantes, conglobati hoſtes intrepidè excipiunt; & cùm accedunt, ſagittas in hoſtes conjiciunt, & haſtis congrediuntur. Paulò verò poſt impetu in fugam converſo, hoſtibus ad perſequendum irritatis, rurſus inſtar volucrum ſubitò reverſi, adverſa fronte multò fortiùs dimicant. Quo ſæpè facto, cùm ſuperiores ſe eſſe vident, omiſſis illis anfractibus, gladios ſtringunt: & horribili clamore ſublato, dicto citiùs in hoſtes irruunt, & pugnantes & fugientes ex æquo occidunt. *Nicetas lib. 2.*

Hyberni telorum cuſpides obvertunt inſtantibus, mucronumque acumina inſequentibus de induſtria opponere ſolent, ac plerumque poſt tergum lanceas jaculari, docti fuga ſuperare. *Saxo lib. 5.*

Bello ſacro Turci, hortorum aggeribus & foſſis, quæ crebræ ſunt juxta Iconium, occupatis, & maceriis pro muro objectis, Alemannorum acceſſum facilè ſe prohibituros putabant, cùm omnes ſagittarii optimi eſſent, atque uno in loco expediti cum gravis armaturæ equitibus pugnaturi. Alemannorum, Duce Friderico Barbaroſſa, quiſque peditem armatum in equi ſui tergum recepit: ut ex eo tanquam ſcala maceria conſcenſa, cominùs cum hoſte congrederetur: & ipſi, qua equis patebat iter, opitulabantur. Ita Turci plerique mali malè perierunt, nonnulli etiam diſperſi fuga ſalutem quæſivere. *Zonar. & Cedren.*

SECURUM HOSTEM OPPRIMERE.

Securitatem hoſti injicere.

Nempe
VICTORIÆ CONFIDENTIA.

Victoriæ, Auxiliorumve
ſpe fretum.

Alexander poſt commiſſam in Peparetho navalem pugnam, in ſpem adductus ſe Athenas capere poſſe ſine cuſtodia, vacuoſque cura poſt victoriam agentes: mandavit iis qui in navibus erant, ut celeriter in Piræum ad Digma naves appellerent. Athenienſes amicas naves eſſe rati, nullam earum rationem deducebant. Illi ingreſſi, menſas diripuerunt. *Polyænus lib. 6.*

Artemiſia Cariæ regina in urbe Halicarnaſſo, à Rhodiis obſeſſa, cùm Halicarnaſſus duos haberet portus, altero hoſtes ingredi, & partem urbis capere permiſit: altero autem portu per occultam foſſam in eum egreſſa, quem hoſtes ceperant, ubi claſſem nihil tale verentes inanem reliquerant, ut omnes majore compendio prædæ operam dare in urbe poſſent, ipſa totam cepit, atque palantes Rhodios, prædaque impeditos, omnes occidit. Tum Rhodia claſſe militibus ſuis inſtructa, Rhodium navigavit, nulloque obſtante, cùm exercitum ac claſſem, quam Halicarnaſſum miſerant, redire arbitrarentur, in terram egreſſa, facilè Rhodum cepit, atque diripuit. In cujus facti memoriam duo ſigna ænea in foro poſuit, unum urbis Rhodiæ, & alterum quo ipſius effigies formata erat, manum extendens, qua frontem Rhodi ſtigmate notabat. *Fulgoſ. lib. 7. c. 4.*

Antigonus naves habebat centum & triginta, quibus præerat Nicanor. His adverſùs Polychoſti claſſem navale prælium committebat, quam ducebat Clytus. In Helleſponto pugna conſerebatur. Nicanor ſuis ob imperitiam in adverſos fluctus coactis, ſeptuaginta naves perdidit. Cùm victoriam palàm hoſtes in manibus haberent, ſub veſperam Antigonus advenit; & eos qui in reliquis eſſent ſexaginta navibus, paratos & inſtructos ad pugnam navalem ſub noctem eſſe juſſit: diluculò, hoſtes tum ſomno nondum ſolutos, tum recèns excitatos fudit. *Polyæn. lib. 4.*

Sutrium bis eodem die captum eſt: evenitque, ut Thuſci, qui oppidum ceperant, id amitterent: & qui amiſerant, opera id recuperarent Camilli, qui ſumma feſtinatione, victis acie Latinis & Volſcis, Sutrium contendens, hoſtes ſecuros, vino ſomnoque ſepultos, cæcidit. *Plut. in Camillo.*

L. Martius eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit, cùm in propinquo bina caſtra Pœnorum paucis millibus paſſuum diſtarent, cohortatus milites, proxima caſtra intempeſta nocte adortus eſt: & cùm hoſtem victoriæ fiducia incompoſitum aggreſſus, ne nuncios quidem cladis reliquiſſet, breviſſimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte, raptim famam rei geſtæ prægreſſus, altera eorundem caſtra invaſit. Ita bis ſimili uſus eventu, deletis utrobique Pœnis, amiſſas popul. Roman. Hiſpanias reſtituit. *Frontinus lib. 2. cap. 10.*

Q. Sertorius, miſſus in Hiſpaniam, ſub Didio prætore, hybernavit in urbe Celtiberorum Caſtulone. Cùm verò milites in abundantia rerum petulantes eſſent, Barbari auxilium imploraverunt à vicinis Gyriſænis, factoque per domos impetu interfecerunt eos. Ibi Sertorius cum paucis oppido elapſus, contractis iis qui evaſerant, circulavit mœnia: & qua porta fuerant Barbari furtim ingreſſi, cùm patentem eam reperiſſet, ſtatione appoſita, atque occupata omni ex parte, urbe omnes pueros occidit. Quibus trucidatis, imperavit militibus, ut armis & veſtibus ſuis poſitis, & Barbarorum ſumptis, pergerent ad urbem illam, ex qua fuerant miſſi, qui nocte ipſos oppreſſerant. Ludificatis armorum ſpecie Barbaris, offendit portas patentes, & multos mortales cepit, qui amicis & civibus re bene geſta arbitrabantur procedere obviam. Unde multi ſunt à Romanis circa portas contrucidati. Reliqui deditione facta ſub corona væniere. *Plut. in Sertorio.*

Michael Balbus Imper. claſſem contra Saracenos Cretam obtinentes emiſit, duce Cratero. A prima luce uſque ad meridiem acerrimè dimicatum. Jam vergente ad veſperam die ſuperati demùm Cretenſes fugam fecerunt. Romani cùm poſtridiè nullo negotio ſe in ſuam poteſtatem redacturos ſperarent hoſtes, compotationibus ſomnoque ſeſe dedere. Cretenſes, qui excubitorum inopia, ipſi vigilum munere fungebantur, in Romana caſtra vino ſomnoque capta, media nocte irruerunt, & univerſos, ne nuncio quidem ſuperſtite, interfecerunt. *Cedren.*

Ardabures, Theodoſii Imper. Dux contra Joannem tyrannum Italiæ, cum Placidia & Valentiniano Cæſare Salonam in Dalmatiam venit. Ipſe, conſcenſis cum magna copiarum parte navibus, Ravennam verſus, ut Joannem ex improviſo adoriretur, iter intendit: Aſparem verò filium, Placidiam & Valentinianum, cum altera, terreſtri itinere Aquilejam juſſit contendere. Proſpera navigatione uſus, ad Italiam quidem appul-

ſus eſt, verùm ſub excurſionem ſævo repentè ſuborto vento repulſus, licèt obluctans, in oram Ravennatem ejectus eſt: ubi à militibus Joannis accurrentibus captus, ad illum continuò eſt deductus. Joannes tanto duce præter omnem expectationem potitus, quoniam pacem optabat, ipſum humaniſſimè habuit, ac liberæ cuſtodiæ tradidit. Ardabures, cùm omnes, qui à Joanne ſpoliati honoribus fuerant, malè erga illum animatos animadverteret, per eos Aſparem admoneri filium juſſit, quem ipſe caſum ſubiiſſet, & ut propiùs accederet, cum Joannes quaſi confecta victoria, omnia ſtudia militaria remiſiſſet. Aſpar ſolus Aquileja cum equitatu in agrum Ravennatem tacitus prodiit. Inde, paſtore quodam duce, per paludem, quæ urbi adjacebat, antea quidem inviam, ſed tum Dei beneficio perviam, magno ſilentio ad urbem proceſſit: ac portis patentibus, ut in ſumma pace, inventis, nemine non ſolùm repugnante, ſed ne ſentiente quidem, intravit. Joannes à ſuis proditus & captus eſt. *Sigon. lib.11. Imperii Occid.*

Donaldi Regis Scotorum ignavia & mollitia Osbretus Anglorum Rex cum Britannis excitus, Pictorum exulibus gratificatus, arma contra Scotos induxit. Primo prælio Osbretus victus effugit. Donaldus cum victore exercitu ad Tuedæ fl. oſtia naves Anglorum commeatu inſtructiſſ. expugnat, prædam inter milites partitur. Converſo interim hoſte ad luxum, Osbretus reparatis viribus, ſecuros aggreditur, vino ſomnoque ſepultos obruit, Donaldum Regem ebrium capit. Pax vix tandem ſupplicibus Scotis data, magna agri parte, quam Pictis eripuerant, multatis. Is inter Anglos & Britones diviſus. *H. Boeth. lib.10.*

Avalaſſus Danorum Dux, & Conſtantin. III. Scotor. Rex, ingentem exercitum contra Athelſtanum Anglorum Regem ducebant, viribus longè imparem. Angli ad pacem Dei quatriduano jejunio impetrandam converſi, ad Broningfeldum congreſſi, primo ſtatim inſultu victis ſimiles, pugnæ loco conſultò ceſſere. Dani & Scoti victoribus ſimiles ad prædam convertuntur. Angli ſenſim recollectis ordinibus reverſi, ſtragem ingentem edidere: cæſa Scotorum nobilitas penè omnis. *H. Boeth. lib.11.*

Moyſes tertius Bajazetis F. cùm ſuſciperet prælium adverſùs fratrem Mulſumanem, Aſianum exercitum in fugam compulit, fugientemque perſecutus eſt. Mulſumanes ſe victum ſimulans, retrò ferebat gradum, Byzantium feſtinans. Cùm autem veniſſet ad urbem, habens ſecum viros circiter quingentos, concurrentibus etiam aliis quibuſdam, urbis foſſam ingreſſus eſt. Fratre autem occupato perſecutione & cæde hoſtium, in ejus caſtra irruere ſtatuit. Quod & fecit: caſtriſque potitus eſt. A perſecutione hoſtium reverſus Moyſes, ubi caſtra cognovit capta eſſe, fuga ſibi conſuluit, exercitumque deſeruit. *Chalcondylas lib.1.*

Cùm Methonenſes graviſſimè à Bajazethe II. oppugnarentur, & in extremis anguſtiis conſtitutis quatuor Venetæ triremes, auxiliariis peditibus, atque aliis neceſſariis rebus onuſtæ, adveniſſent: ii qui in urbe erant, ob præſens auxilium læti, omnes ad portum accurrerunt, ac mœnia ſine cuſtodiis & defenſoribus reliquere. Quod ubi Janizari ſenſerunt, per ipſa mœnia in urbem ingreſſi, Venetos pedites ad unum trucidarunt, atque ipſa demùm urbe potiti ſunt. Anno M. D. à Chriſto nato. *Jov. in vita Bajazethis II.*

Carolus Andegavenſis, Siculi regni occupator, adversùs Conradinum Svevum caſtra locarat ad Fucinum lacum. Loco ad pugnam delecto conſtitit: admonituque Alardi veterani ordinum ductoris, qui ſub Germanis multos annos meruerat, quas in aciem copias in conſpectum hoſtium eduxit, eis Mareſcallum ſive Magiſtrum militum præfecit. Hunc regiis inſignibus excultum rem gerere juſſit: ipſe cum delecta manu colle propinquo tectus ſedit, ſe in tempore accurſurum dictitans. Apud Svevum Longobardi, Umbri, Hetruſci exules, ſimul Ligures Hiſpaniquè in prima ſtabant acie, Germani in ſubſidiis. Tres continenter horas pugnatum, ac ſemper acerrimè. Tandem Magiſter militum cadit: credunt hoſtes regem Carolum cecidiſſe, victoriam conclamant. Redintegrato impetu, velut recentes impreſſionem faciunt, fundunt, fugant, diſpalatos perſequuntur. Germani, qui ad id tempus quieti ſteterant, ne victoriæ partæ gloria Italorum Hiſpanorumque tota fieret, ut ea ipſi perfruerentur, ne ſegne otium tererent, conſurgunt, perinde atque nullo jam metu ſolutis ordinibus feruntur. Tunc Carolus è latebris repentinus ſupervenit, omniaque ſubitò mutata. Tanquam miraculo attoniti Germani opprimuntur. Cædes in victores vertit. Ad duodecim eorum millia cecidere. Finem cædis fecerunt: Dux Auſtriæ & Henricus Caſtulonenſis capti, armaque abjici cœpta. Conradinus detractis inſignibus regiis, calonis habitu ſumpto, longinqua fuga ſibi conſulens, captus, & ſecuri percuſſus eſt. *Æmil. lib.7. & Fulgoſ. lib.7. c.4. & Plat. in Clemente 4.*

Cadan, unus è Tartarorum Regibus, qui ſub Bela IV. Hungariæ Rege Pannoniam vaſtarunt, inter Cumaniam & Ruteniam veniens, per ſylvas trium dierum itinere facto, ad Rhodanum, in editiſſimis montibus ſitam, ubi fodinæ auri & argenti erant, tandem pervenit. Cui Teutones multi, qui montana loca incolebant, lucri gratia, armati obviam in ſylvis occurrere. Cadan ſimulata fuga ceſſit: Teutones veluti fugato hoſte, lætabundi rediere, exutis armis convivia celebrarunt, multo ſeſe vino impleverunt. Mox ex improviſo reverſus hoſtis, pagos munitionibus carentes occupavit. *Bonfinius lib. 8. Dec.2.*

Ludovicus Germanorum Rex, Berengario in Longobardia regnum moliente acie victo, apud Veronam voluptatibus indulgens, ab eodem ex inſidiis captus & excæcatus eſt. *Crantzius lib.2. c.23. Metropoleos.*

Otho Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus, Patriciorum Dux, Napum Turrianum tyrannum, popularis principem factionis, caſtrum Sepejum oppugnantem, facta eruptione, magna affecit clade. Napus verò collectis è fuga ſuis, nocte intempeſta ſecuros ob victoriam Othonianos ita oppreſſit, ut Otho vix Comum effugerit cum equitatu. *Jov. in Othone.*

Turcæ Crojam Epiri urbem obſidentes, eruptione facta à Venetis, magna clade affecti, caſtris exuti ſunt. Hìc dum ductores conſultant, deberetne pulſis hoſtibus in eorum caſtris nocte illa, quæ inſtabat, eſſe, an in ſua redire, nondum remiſſo prælio? ecce hoſtes in Venetum militem cum clamore coorti, victores fœdiſſima cæde in oppidum uſque perſecuti ſunt. *Sab. lib10. Dec.3.*

Anno 1594. 9. Septembris, numero circiter decem millia Turcarum Danubium partim navibus, partim colligatis lignorum faſcibus trajecerunt, Chriſtianoſque in Inſula Schutia ſecurè dormientes ex improviſo adorti, duo circiter millia virorum, fœminarum, lixarum, & calonum interfecerunt, reliquos in fugam verterunt: eorum munitiones occuparunt, tentoria, quadrigas, commeatum, pulverem ſulphureum, tormenta bellica, & omnem pecuniam, quæ paulò ante àd ſtipendia militibus diſtribuenda erat advecta, ſuæ poteſtatis fecerunt: mille circiter currus, ducentas naves benè oneratas & inſtructas, præter decem triremes, in quibus cxx. tormenta erant bellica, Chriſtianis interceperunt. Archidux Auſtriæ Matthias, proceres & Tribuni militares vix per fugam elapſi ſunt. Acceptum hoc die damnum quingentis florenorum millibus æſtimatur.

Turcæ cùm Javarinum obſiderent an. 1594. quatuor millia Tartarorum equitum, inter Javarinum & Comorram, Danubium, præmiſſis equis, à quorum caudis pendebant, & acinaces nudos in ore, in dextra ſcloppeta gerebant, tranarunt. His adjunxerunt ſeſe 6000. Turcarum, qui colligatis arboribus, umbilico tenus incumbentes, pedibuſque remigantes, fluvium ſuperarunt, & Chriſtianorum propugnaculum Danubio proximum occuparunt. Quinque machinis in eo potiti ſunt, quas converſas ſtatim in Chriſtianorum caſtra diſploſerunt.

AMICITIA SIMULATA.

Per

Colloquium.

Autophradates, Epheſiis è regione caſtra figentibus, videns multitudinem otioſam obambulare, principes eorum ad colloquium de communibus rebus habendum evocavit. Qui progreſſi colloquebantur. Duces equitum & armatorum multò ante præceptum acceperant, ut colloquentibus principibus impetum facerent in Epheſios, ſine ordine diſperſos, & curis vacuos. Itaque magnus Epheſiorum numerus, partim occiſi, partim vivi capti ſunt. *Polyæn. lib.7.*

Dionyſius contra Dionem arcem obtinens, legationem ad Syracuſios miſit, quæ de pace ageret. Illis reſpondentibus, Si dimittit imperium, accipimus petitionem: ſin minùs, inexpiabile bellum eſto: Dionyſius rurſùs, miſſo præcone, juſſit mittere legatos, quibus reſignaret imperium. Illi miſerunt, & præ nimio gaudio præſidia deduxerunt, quòd tyrannum jam imperium deponere arbitrarentur. At ille legatis retentis, & militibus eductis, Syracuſas recuperavit. *Polyænus lib.5.*

Olaus Norvegiæ Rex contra Canutum II. Danorum regem claſſem ducens, Sialandiam petens, populum ad deditionem

nem ſolicitabat. A ſene quodam ſimulatò plebis favore excipitur. Inter varios ſermones ſpeculator quidam grandia terris vela propinquare narrabat. At ſenex, conſuetam littoribus mercem advehi ſimulavit. Verùm ubi ſpeculator, Canuti eam claſſem eſſe aſſeruit, Olaus ſenem mendacii accuſans, colloquium ſolvit. Ille nihilominùs vera ſe omnia retuliſſe contendit, eos mercatores adventare dicens, à quibus Daniam quis ferro comparare poſſet. Olaus vix fuga evaſit. *Saxo lib.10.*

Anno 1317. regnante Edovardo II. Anglorum rege, cum multa damna Prioratui de Tynemutha Gilbertus de Methleton cum ſuis complicibus intuliſſet, multoſque captivorum non valentes ſe redimere, in cuſtodia detinuiſſet: quidam de regione illa nobiles, eorum detentionem injuſtam durè ferentes, ad ipſum acceſſerunt, ſub conductu ſalvo pro vicinorum liberatione mediante pecunia tractaturi. Quoſdam autem tunc à cuſtodia liberatos ſecum abduxerunt: quoſdam verò pro ſecuritate ſolvendæ pecuniæ cum eo obſides dimiſerunt. Finalis verò ſolutionis veniente die, & ſatellitibus dicti Gilberti ad prædandum egreſſis: venerunt, qui pacti fuerant lytrum perſolvere dicto Gilberto, dicentes ſe pecuniam attuliſſe, quam in villa ſecretiùs occultaverant propter metum prædonum, pro qua ferenda liberum exitum & introitum in caſtellum ſibi concedi petebant. Cumque ad caſtri portas velut exituri veniſſent, trucidatis mox janitoribus, multitudinem armatorum foras latentium introduxerunt. Qui ſubitò irruentes, nil tale cogitantem inflictis plagis ceperunt, & vinculis ferreis acriter conſtrinxerunt, deinde quàm citiſſimè potuerunt, eum cum fratre ſuo, Londinum tranſmiſerunt, ubi judicialiter condemnatus, in oculis Cardinalium quos ſpoliaverat, tractus & ſuſpenſus eſt. *Thom. Vualſingh. in Edovardo ſecundo.*

Deditionem.

Antigonus Hieraa, à Seleuco fratre defectione facta, profugit in Meſopotamiam. Itaque eum Armeniorum montes tranſgreſſum, Arſabes, cum quo ei amicitia intercedebat, excepit. Duces Seleuci Achæus & Andromachus cum infinitis copiis perſequebantur, & magno quidem impetu manus conſerebant. Tandem Antiochus, accepto vulnere, profugit in montis colles ſuperiores, exercitu ſine ordine ſub lateribus montis caſtrametante: & fama divulgavit, Antiochum in prælio cecidiſſe. Exercitus verò non exiguam partem noctu colles montis occupare juſſit. Sequenti die legatos miſerunt Antiochi milites, Philetærum Cretenſem, & Dionyſium Lyſimacheum, certiſque conditionibus Antiochi corpus ad ſepeliendum poſtularunt, ſeipſos atque arma tradentes. Andromachus: Nondum, inquit, Antiochi corpus inventum eſſe: quærerent interiùs in vinculis, ſe miſſurum, qui arma & milites acciperent. Venerunt quatuor millia virorum, non ad pugnam faciendam parati, ſed ad accipiendos captivos inſtructi. Qui poſtquàm ad latera montis veniſſent, hi qui colles occuparunt, deſuper effuſi, magnam eorum ſtragem ediderunt. Antiochus verò regio habitu recepto apparuit, & viventem & vincentem ſe oſtendens. *Polyænus lib.4.*

Victo ab Arabibus Romano Argyropylo Imper. Græco, Arabes Georgium Maniacum, Teleuchæ provinciæ præfectum, uti ſe dederet, ſolicitarunt. Ille ſe eis obtemperare velle ſimulans, cibi potuſque abundè eis ex urbe miſit, quiete ſe eos jubens reficere: & ſignificans, manè ſe cum ſuis diſceſſurum, ipſiſque urbem Teleucham & omnia Romanorum bona traditurum. Arabes potationi ſe & ebrietati dederunt, noctemque eam ſecuri abſque cura exegerunt. Media nocte ebrios barbaros & ſecurè dormientes adortus, ad internecionem delevit. *Cedrenus.*

Eo bello, quod Magnus, Luneburgenſi ditione ob tyrannidem ejectus, anno 1371. contra Albertum ſucceſſorem geſſit, feſta nocte xi. millium Virginum, ſeptingenti milites Magni matutino crepuſculo, cùm cives à pervigilio domum rediiſſent Conſulum permiſſu, ſcalis mœnia ſuperavere. Conſternatis omnibus, & occupato jam ab hoſtibus foro, ſtipendiarius quidam miles primus ad hoſtes perveniens, parcendum ait ſanguinis effuſioni: dicerent, quas victi leges acciperent, oppidum jam eſſe in eorum poteſtate: nuncium ſe ad cives iturum, ut ſine ſanguine faciant imperata: id potiſſimùm molitus, ut ſe colligendi tempus cives haberent. Ubi jam ſatis armatos putavit, locuturum ſe cum civibus pollicens, relaturumque, quid in animo haberent, diſceſſit. Ubi ad cives venit, hortatur pro libertate pugnent, victoriam indubiam habituros. Redit in forum, referens cives nullis conditionibus aſſentiri velle. Inito conflictu, duo ex Burgimagiſtis procubuere (loco extant hodie inſignia) hoſtes capti, & in vincula conjecti. *Crantzius lib.9. Saxoniæ, c.28.*

Cum Baſſa Turcicus Boſnienſis graſſaretur in Ungaria, monaſterio Siſſeg inſidiatus, id ſibi, miſſo legato, ab ejus præfecto Abbate tradi poſtulat. Abbas legatum verbis ſpe plenis lactat, ab eoque mentem Baſſæ intelligit, & tandem cum Oeconomo monaſterii, quem moliri proditionem compererat, in præterlabentem Savum præcipitat. Baſſa non revertente priore, alium emittit: cui Abbas, mirari ſe priorem non reverſum: offerre ſe deditionem: mitteret ſaltem viros, qui occuparent, alicujus auctoritatis, ignominiam à militibus timens gregariis. Baſſa lætus ſine ſanguine conficiendum negotium, id agit, dum intereà Abbas præſidium auget, tormenta omnia bellica ferreis catenis, clavis, lapidibus, aliiſque telorum generibus onerat, in area monaſterii diverſis locis diſponit, tegitque virgultis, aliaque materia, ne videri poſſent. Tertio tandem die Turcicus equitatus advenit, patet porta; ingrediuntur nobiliores primi, inde reliqui ad quingentos, aut circiter. Qui cùm tranſiiſſent, mox penſilis dimittitur crates, exonerantur undique machinæ, ſternuntur Turcæ, capita, pedes, & brachia tormentorum vi per aerem abripiuntur, exiliunt è latebris præſidiarii, & ſi qui reſidui erant, hos omnes trucidant. Qui extra Monaſterium erant, fremitum & ejulatum ſuorum audientes, converſis equis, fuga ſibi conſuluerunt. Hac ſuorum clade, & tot magnatum cædibus auditis, Baſſa excanduit, juravitque per Mahumetum ſuum ſe monaſterium hoc fundìtùs everſurum, & Abbati cutem detracturum: quod & illi per literas denunciavit.

Defectionem.

Cùm Archagatus Agathoclis F. Lyciſcum exercitus ducem ob convitia quædam in patrem conjecta, & inceſtum ſibi cum noverca exprobratum, pilo trajeciſſet: & univerſus exercitus Archagatum eo nomine de medio tollendum cenſeret, ac ni filium Agathocles traderet, ipſum pro eo ad ſupplicium rapiendum: Carthaginenſes occaſionem iſtam arripientes, quoſdam ad eos miſerunt, qui eos ad defectionem ſolicitarent, ſtipendia ampliora & munera non vulgaria promittendo. Itaque multi ducum ad eos ſeſe cum exercitu deſcituros pollicebantur. Agathocles autem cùm exuta regia purpura, vilique veſte induta, oratione pathetica eos mitigaſſet: adverſùs Carthaginenſes defectionem Græcorum expectantes exercitum eduxit. Barbari hoſtes ad ſe deſciſcere rati, nihil de eo, quod reipſa acciderat, cogitabant. Agathocles verò jam hoſtibus proximus, claſſicum cani juſſit, ac eos adortus, magnam ſtragem edidit. *Diod. lib.20.*

Amorem. Conjugium.

Adverſus Roman. militabant Latini, eorumque filias ad contrahenda cum iis matrimonia poſtulabant, quemadmodùm ipſi Sabinorum virgines rapuerant, ſi fœdus ac pacem conſtitui vellent. Romani bellum quidem metuebant, filias autem ſuas tradere non ſuſtinebant. Tum Philotis ſerva, facie liberali prædita, conſilium dedit, ut ſe aliaſque ſervas, quæ decora forma eſſent, ornarent, ac hoſtibus quaſi filias mitterent: inito ſimul pacto, ſe, cùm hoſtes ipſis acceptis quieti ſe dediſſent, noctu igni ſignificationem daturam. Latini cum puellis cubabant. Illa ignem ſuſtulit. Romani reverſi Latinos dormientes interfecerunt. *Polyænus lib.8.*

Habitum, Cultum, Arma,

Inſignia, Vexilla. Vel

Aliena, Mutata, Imitata.

Darius cum Saccis tripartitò diviſis bellum gerebat. Cum unam partem debellaſſet, Saccarum devictorum veſtibus & armis Perſas amicivit, eoſque ad alterum Saccarum exercitum duxit, amicorum ſpecie ſenſim ambulantes. Saccæ veſtium & armorum habitu decepti, amicè accedentes, quaſi ſuos ſalutabant. At Perſæ (habebant enim hoc præceptum) omnes occiderunt: & ad tertiam partem tranſeuntes Saccarum, eos abſque pugna vicerunt: Neque enim reſtiterunt, binis copiis ante ſuperatis. *Polyænus lib.7.*

Piſiſtratus Athenienſis, cùm excepiſſet Megarenſium claſſem, qua illi ad Eleuſinem noctu applicuerant, ut operatas Cereris ſacro fœminas Athenienſium raperent, magnaque edita cæde eorum, ultus eſſet ſuos: eadem, quæ ceperat,

A perat, navigia Athenienſi milite complevit, quibuſdam matronis habitu captivarum in conſpectu locatis. Qua facie decepti Megarenſes, tanquam ſuis, & cum ſucceſſu revertentibus, effusè obvii inermeſque rurſùs oppreſſi ſunt. *Frontinus lib.4.c.7.*

Cimon Miltiadis cum ducentis quinquaginta navibus adversùs trecentas quadraginta Perſarum naves apud Cyprum pugnavit feliciter. Pleræque hoſtium naves diſcerptæ periere, ſupra centum cum viris ipſis captæ; reliquæ incolumes in Cyprum ſe receperunt, ibique milites relictis in ſtatione navigiis vacuis, in terram confugerunt; ita naves defenſoribus vacuæ, in manus hoſtium integræ omnes venerunt. Cimon properè cum tota claſſe in copias hoſtium pedeſtres tendit, quæ ad Eurybantem fluvium in caſtris agebant. Fortiſſimos quoſque ex ſuis in naves Perſicas, quas ceperat, cum tiaris & reliquo ornatu Perſico impoſuit. Barbaris figuris navium & ornamentis ſuis decepti, triremes ſuas adventare crediderunt. Cimonis milites pro amicis accepti, repentè in caſtra Barbarica irrumpentes, obvios quoſque cecidere, & poſtera die trophæum ejus rei erexere, duabus victoriis clariſſ. altera pedeſtri, altera B navali, certamine potiti. Ad hæc uſque tempora eſt inauditum, res tantas una die terra marique ab iiſdem confectas. Trecentis triremibus, & navibus quadraginta hoſtem pugnando Cimon ſpoliavit. Captivos ſupra viginti millia duxit, ingentem præterea pecuniam. *Diod. libro* 11. *& Polyænus libro* 1. *& Frontinus libro* 4. *capite* 7.

Ariſtomachus triremibus Cardianorum captis, impoſuit remiges, ſuarumque navium inſignibus eas ornavit, cum concentu ſuas naves ſub multam veſperam appellens. Cardiani ad naves effundebantur ex urbe, quaſi ſuas & victrices. Ariſtomachi è navibus egreſſi, multos Cardianorum occiderunt. *Polyænus lib.5.*

M. Portius Cato impetu in claſſem hoſtium cum tranſiliviſſet, deturbatis ex ea Pœnis, eorumque armis & inſignibus inter ſuos diſtributis, multas naves hoſtium, quos ſociali habitu fefellerat, merſit. *Front. lib.4.c.7.*

Miles Caroli Magni, atque adeò ipſe Carolus, cum ad Viſurgium amnem contra Sagones caſtra moviſſet, Teutonico ſermone & ornatu magna ex parte utebatur: Saxones igitur ejuſdem cultus & linguæ, Francorum pabulatoribus hora diei C nona in caſtra revertentibus, quaſi commilitonibus ſuis ſeſe commiſcentes, in caſtra Francorum irrepſere, adeòque dormitantes, ac ſemiſomnes adorti, plurimos trucidavere. Sed vigilantium fortitudine caſtris repulſi ſunt, in fugamque verſi. *Aventinus lib.4. Annalium Bojorum. & Æmil. lib.2.*

Barbaroſſa Tunetanus Rex, Balearis minoris portum ita intravit, ut Cæſarianæ claſſis ſpeciem, explicatis Chriſtianorum inſignium vexillis, præberet, & ab effuſis ad ſpectaculum oppidanis, multis de more tormentorum bombis ſalutaretur. Adjuvit aſtum doloſi hominis Luſitana navis, quæ in eundem portum tempeſtate impulſa anchoras jecerat. Præfectus namque ejus Conſalvus Perelia, eadem captus imagine pilas ferreas tormentis eximi, eaque inani ſonitu ad lætitiæ ſignum honoris cauſa diſplodi juſſerat. *Sabellic. ſupplem. lib.19. ex Iovio.*

Sua occulta.

Chabrias in Naxo adverſùs urbem navale prælium geſturus, præcepit trierarchis, ut ſi in æquali & ancipiti periculo eſſent, D ſuarum navium ſignis abſconditis, inſignitas hoſtiles eſſe ſcirent. Hoc facto, Pollidis gubernatores Athenienſium navibus obviam facti, cum non haberent Atticum ſignum, dubii & ancipites præternavigarunt: Athenienſes verò, quemadmodùm præceptum erat, utrinque inſignitas in naves impreſſionem fecerunt. *Polyænus.*

Bello Jugurthino Metellus cum legatione una Vaccam magnis itineribus contendens, poſteaquàm urbi appropinquare cœpit, militibus mandat, ut tectis armis in hoſtem ire pergant. Vaccenſes amicum id agmen rati, Jugurthamque adeſſe arbitrantes (erant enim in primo agmine Numidæ conſtituti) ex urbe certatim ſeſe effundunt, regi obviam ituri. Ibi à Romanis incautè excepti, promiſcuè puberes impubereſque cæduntur. Urbs capta ac direpta. *Sabell. libro* 2. *Ennead.*2.

S i g n a.

Qui adverſùs Erythræos bellum gerebant, ſpeculatorem eorum in loco edito deprehenſum occiderunt, & veſtem ejus E ſuo militi dederunt, qui ex eodem jugo Erythræo ſigno dato in inſidias evocavit. *Front. lib.2.c.5.*

Magas, occupato Paratonio, compoſuit cum ſpeculatoribus, ut facem amicam tollerent ſub veſperam, atque iterùm ſummo mane eandem. Facium dolo proceſſit in regione uſque ad eum locum, qui Chius dicitur. *Polyænus lib.2.*

Iphicrates in Corcyra Crinippo è Sicilia cum ſupplementis undecim adnavigante, ſpeculatoribus eum appellere jam ſignificantibus, cuidam mandans, ut in deſertis ignem amicum accenderet; noctu adnavigans, omnia ſupplementa cepit, uno ſolùm effugiente. *Polyæn. lib.3.*

LOCI SECURITATE FRETUM CIRCUMVENIRE.

☞ *Conſule ſuprà Tit. Celeritate ſumma hoſtem opprimere; quatenùs fretus loci diſtantia hoſtis, nihil minùs quàm irruptionem timet.*

Pompiſcus urbem cingens caſtris, in maximam regionis F partem hoſtes exire prohibuit. In unum verò locum continenter venire permiſit; iiſque, qui ad agendam prædam mitterentur, præcepit, ut ab eo ſolo loco abſtinerent. Qui in urbe erant, ſine metu eò commeabant. Ille cum multos venire ex ſpeculatoribus cognoviſſet, facto in eos impetu, magnum numerum ſubegit. *Polyæn. lib.5.*

Q. Sertorius in Hiſpania cum apud Lauronem oppidum vicina caſtra Pompeji caſtris haberet, & duæ tantummodò regiones eſſent, ex quibus pabulum peti poſſet, una in propinquo, altera longiùs ſita: eam quæ in propinquo erat, ſubinde à levi armatura infeſtari, ulteriorem autem vetuit ab ullo armato adiri, donec perſuaſit adverſariis, tutiorem eſſe, quæ erat remotior. Quam cum petiiſſent Pompejani, Octavium Græcinum cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, & decem Hiſpanorum levis armaturæ, & Tarquinium Priſcum cum duobus millibus equitum ire juſſit ad inſidias tendendas pabulatoribus. Illi in vicina ſylva copias abſcondunt, ita ut in prima parte leves Hiſpanos, aptiſſimos ad furta bellorum, ponerent: paulo interiùs ſcutatos, in remotiſſimis equites, ne fremitu equorum cogitata proderentur. Quieſcere omnes, ſilentio ſervato, in horam tertiam diei jubet. Cum deinde Pom- G pejani ſecuri ſervatoque pabulo de reditu cogitarent, & hi quoque, qui in ſtatione fuerant, quiete invitati ad pabulum colligendum dilaberentur: emiſſi primùm Hiſpani, velocitate gentili in palantes effunduntur: & convulnerant confodiuntque nihil tale expectantes: priùs deinde quàm reſiſti his inciperet, ſcutati erumpunt è ſaltu, & redeuntes in ordinem conſternunt vertuntque fugientibus equites immiſſi, uſque in caſtra perſecuti ſunt. Equites præmiſſi, occurrerunt eis, qui primi fugerant. Ad cujus rei ſenſum, Pompejo emittente legionem cum Lælio in præſidium ſuorum, ſubducti in dextrum latus veluti ceſſerunt equites: mox cum à fronte, qui pabulatores perſecuti erant, incurſarent, legio quoque inter duas acies hoſtium cum legato ſuo eliſa eſt. Ad cujus præſidium Pompejo totum educente exercitum, Sertorius quoque è collibus in ſuos inſtructos oſtendit: effecitque, ne Pompejo expediret. Ita præter duplex damnum, eadem ſolertia illatum, ſpectatorem quoque eum cladis ſuorum continuit. Hoc primum prælium inter Sertorium & Pompejum fuit: x. millia hominum de Pompeji exercitu amiſſa, & omnia impedimenta. *Livius & Front. lib.2.c.5. & Plut.*

C. Julius Cæſar Germanos, qui trans Rhenum incolunt, H fluminis vallo confiſos, primus Romanorum, ponte fabricato aggreſſus, maximis affecit cladibus. *Svetonius*

Domitianus, cum Germani more ſuo è ſaltibus & obſcuris latebris ſubinde impugnarent Romanos, tutumque egreſſum in profunda ſylvarum haberent: militibus per centum viginti millia paſſuum actis, non mutavit tantùm ſtatum belli, ſed & ſubjecit ditioni ſuæ hoſtes, quorum refugia nudaverat. *Front. lib.1.c.3.*

Magnentius tyrannus Murſam urbem, Conſtantio Imper. parentem, oppugnabat. Ubi verò Conſtantium ſenſit adventare, inſidias ei hoc pacto paravit. Erat circus ante urbem ab omni parte ſylvis opacus: in eo quatuor Gallorum millia poſuit, præcepto dato, ut ubi pugnam commiſſam vidiſſent, hoſtes repentè invaderent. Quod cum ii, qui in muris hærebant, conſpexiſſent, certiorem fecere Conſtantium: atque ille, imprudente Magnentio, duces quoſdam cum ſelectiſſimis ex toto exercitu militibus ad eos delendos immiſit. Hi, cum valida manu omnes circi portas obſediſſent, in ſuperio-

A rem partem cum ala evecti, tela in Magnentianos, qui in circo erant, jacere inſtituerunt. Quorum cum nonnulli, ſublatis in capita ſcutis, ad portas erupturi advolaſſent, iis qui in ſtatione erant, prohibentibus, omnes ictibus telorum supernè incidentium ad unum confecti ſunt. *Sigon. l.5. Imp. occid.*

QUIETIS SIMULATIONE.
In Genere.

Pammenes, contrario modo tubarum lege uſus, hoſtes decepit, mandans ſuis militibus, ut cum receptui caneretur, impreſſionem facerent: cum verò ad pugnam vocarentur, diſcederent. His utriſque magnam cladem hoſtibus inflixit. *Polyænus lib.5.*

Pompiſcus, hoſtibus ex propinquo ſigna & promulgationes ipſius obſervantibus, in occulto præcepit militibus, ut manifeſtò data præcepta & promulgationes ſemper in contrarium verterent. *Polyæn. l.7.*

Atila vaſtata Germania in Ungariam reverſus, integro quinquennio voluptatibus ſe dedidit, bellicis curis omninò diſ- B ſimulatis, ut hac otii ſimulatione non hoſtium modò conatus, ſed & ſuorum fidem exploraret. *Bonfinius Dec.1.l.5.*

In Specie Ob
Morbum ducis.

Philippus Macedo fortè vulneratus graviter, ferè mortuus jacuit. Ubi jam convaluit, cum nihil minùs ſuſpicarentur, diu diſſimulatum bellum Athenienſibus intulit, Thebanis minimè auxiliantibus metu Philippi. Victi tandem ſuccubuere, veterem libertatis gloriam amittentes. Philippus verò lætitiam diſſimulans, ſolito luxu jociſque abſtinuit, captivoſque reddidit, corpora ad ſepeliendum tradidit. *Iuſtinus ex Trogo.*

Curam corporis, quoad Cibum, Somnum.

Ariſtoſi Corinthius gubernator, Athenienſibus & Syracuſanis navale prælium committentibus, & utriſque manentibus, miſit ad principes, juſſitque cibaria in mare transferre. Quæ cum eſſent allata, verſis navibus in terram receſſerunt: egreſſique, celeriter prandium ſumpſerunt. Athenienſes exiſtiman- C tes eos victos diſcedere, è navibus egrediuntur, obambulanteſque ad prandium ſeſe inſtruxerunt. Adnavigarunt repentè Syracuſii, & pranſi, minori negotio hoſtes famelicos profligarunt. *Polyænus l.5.*

Memnon quinque millia militum ducens, cum quadraginta ſtadiis abeſſet à Magneſia, caſtra muro erecto cinxix. Parmenion & Attalus erant in Magneſia cum decem millibus. Munitis caſtris, Memnon eduxit eos inſtructos ad pugnam ad decem ſtadia. Hoſtibus excurſionem facientibus, Memnon receptui ſigno dato, intra muros conceſſit. Similiter etiam hoſtes diſceſſerunt. Rurſus Memnon progreſſus, cum hoſtes aciem inſtruere cerneret, diſceſſit, atque etiam hoſtes; idque ſæpiùs eodem die. Poſtremò cum exutis armis in faciendo prandio diſtinerentur, eos inſtructis ordinibus aggreſſus eſt. *Poliænus l.5.*

Teleſinicus Corinthius in portu Syracuſiorum adverſus Athenienſes navali prælio confligebat. Cum ad multum diem obita pugna defatigarentur, celocem in urbem Syracuſiorum miſit, ac cibaria in portum deportari juſſit. Quæ cum inſtructa videret, ſublato ſigno, dum anceps adhuc prælium eſſet, D in portum ſe recepit. Athenienſes etiam ipſi in terram diſcedentes, prandium faciebant, alii aliò diſperſi. Ille militibus præparato victu refectis, ſolvens continuò cum ſagittariis & jaculatoribus, in cataſtromatis repentinè ſuperveniens, Athenienſibus ſine ordine diſcurrentibus, & cum tumultu egreſſis, in obverſas triremium proras impetu facto, victor diſceſſit. *Idem.*

Idem, cum iiſdem ſignis hoſtes prandium ſumerent, & reliqua ſimiliter facerent; mandavit triremium celerrimis, ut ante lucem ſumpto cibo egreſſi quieſcerent. Cùm tempus inſtaret prandii, conſueto more ſignum dedit. Qui igitur in reliquis erant navigiis, prandium faciebant. Reliqui Syracuſii progeſſi, conſcenſis navibus in hoſtes impetum dant, multaſque triremes eorum perdiderunt, dum ipſi in capiendo cibo occuparentur. *Idem.*

Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, Argivis bellum inferebat. Argivi attentè obſervabant, ac ſpeculabantur, quid rerum hoſtes gererent. Nam omnia, quæ vellet, per præconem exercitui Cleomenes ſignificabat, atque illi ſimilia facere ſemper ſtudebant. His ſe armantibus, contra ſe armabant: exeuntibus, contra exibant: requieſcentibus, ſe quieti dabant. Cleo- E menes tacitè & clam præceptum dederat, ut cum prandium ediceret præco, arma ſumerent. Illo igitur proclamante, Argivi ad prandendum ſe conferebant. At Cleomenes educens armatos, ſine negotio nudos & inermes Archivos trucidavit. *Polyænus l.1.*

Epaminondas exercitum ſemper oriente ſole promovit, ſuſpicionem hoſtibus præbens, ſe ex aperto prælium facturum. At in Peloponneſo noctu conſurgens, inopinantes Lacedæmonios, & adhuc dormientes obruit. *Polyæn. l.2.*

Seleucus adverſus Antigonum prælium commiſerat, æquali pugna. Ingruente nocte, viſum eſt utrique conflictum in poſterum diem differre. Interea milites Antigoni armis exuti caſtrametabantur. At Seleucus præcepit ſuis, ut in armis cœnam ſumerent, & ſomnum caperent, atque aciei figuram conſervarent. Summo mane Seleucii Antigoneos inermes & diſſipatos oppreſſere. *Polyæn. l.4.*

Victo Mithridate, Amiſum Ponti urbem opulentiſſimam diù obſedit Lucullus. In cauſa præfectus erat Callimachus, qui ſcientia apparatus machinalis & omnis vi verſutiæ, cujus in obſidione uſus ſit, vehementiſſimè fatigavit Romanos. F Hic tunc ſolertia & conſilio eſt victus Luculli, qui qua diei hora adducere & reficere conſueverat milites, ea adortus eſt mœnia. Quorum cum modicam partem cepiſſet, ille, vel quòd prædam invideret Romanis, vel quòd facultatem ibi evadendi ſtrueret, deſeruit inceditque urbem. *Plutarchus in Lucullo.*

Bardas Durus, Imperium Orientis affectans, Petrum ſpadonem, Baſilii Porphyrogeniti Imper. ducem, callidè ad Liparam eluſit. Multis inſtruxit cœnas, veluti exercitui epulum daturus. Quo facto Imperatorii decepti, eo die pugnam initurum minimè opinantes, ipſi quoque convivia agitarunt. At Durus, qui ſuos ad pugnam inſtruxiſſet, deprehenſo, quid apud hoſtes fieret, ſubitò tuba ſigno dato, prandentes hoſtes cæcidit. *Cedrenus.*

Cadaveris Curam.

Philippus mortuos ab hoſtibus Illyricis ad ſepulturam poſtulavit. Quibus concedentibus, cùm extremi apportarentur, dato ſigno, ex improviſo eos obruit. *Polyæn. l.4.*

Alexander Scoſſæorum terram videbat aſperam eſſe, mon- G teſque præcelſos & inacceſſos habere. Nulla igitur capiendi ſpès offerri poterat. Accedit quidam nuncians, Epheſtionem Babylone diem ſuum obiiſſe. Ille communem luctum imperans, ad Ephæſtionis exequias properabat. Speculatores Scoſſæorum cum id vidiſſent, loco moventes, digredi cœperunt. Alexander miſſis per noctem equitibus, tranſitum occupavit: & ab itinere deflectens, cum ſe conjunxiſſet equitibus, unà cum eis Scoſſæorum regionem ſubegit. Hanc rem geſtam ajunt Alexandro pro conſolatione fuiſſe mortis Ephæſtionis. *Polyæn. l.4.*

Deambulationem.

Iphicrates è regione Lacedæmoniorum ſociis caſtra ponens noctu veſtitum exercitus tranſtulit, milites ſervilibus veſtibus induens, ſervos verò militaribus. Qui igitur militari habitu amicti erant, procul ab armis ibant, liberorum otium imitantes. At ſerviliter inſtructi apud arma verſabantur, quemadmodum moris erat ſervientibus. Hæc videntes hoſtes, æmulatione adverſariorum, milites oſcitanter extra caſtra ſpatiantes otium agebant. Servi neceſſariis uſibus erant occupati. Ibi H tum ſignum tollitur. Iphicratii ſtatim ſumptis armis, ad hoſtium caſtra progreſſi, mancipiis à miniſterio fugientibus, militibus armis deſtitutis, alios occiderunt, alios captivos duxerunt. *Polyæn. l.3.*

Monomachiam.

Cum Franciſcus Carmaniola, Venetorum militiæ dux, adverſus Mediolanenſis ducis Philippi Vicecomitis copias apud vicum Maclodium in Brixiano agro caſtra poſuiſſet, nec longè ab eo loco eſſent Philippi copiarum duces, Carolus Malateſta, Nicolaus Picininus, Franciſcus Sfortia, atque Angelus Pergulanus: accidit, ut Carmaniolæ eques quidam cum uno hoſtium equitum contentionem haberet. Eam rem Carmaniola arbitratus eſt poſſe occaſionem rei benè gerendæ præbere. Itaque eò verbis eam rem duxit, ut locum inter utraque caſtra deligerent, in quo ſingulari certamine depugnaretur. Evenit autem, id quod Carmaniola fore præviderat, ut è Philippi caſtris, major militum pars inermis, cum inſidias abeſſe putaret, decertantes perduelles ſpectatum prodiret.

Itaque

A Itaque ipſe potiorem exercitus partem armatam in tabernaculis manere juſſit, & cum hoſtes ſpectaculo intentos conſpexit, in equos conſcendere armatos milites ſuos juſſit, atque pleno curſu in hoſtes tendere. Qui inermes inordinatique priuſquam arma induere, aut in aciem ad ordines ſuos ire poſſent, fuſi fugatique ſunt. Fugientes autem ipſe inſecutus, quatuor inſignes Philippi duces ſuperavit. *Fulg. l. 7. cap. 4. & Egnatius l. 7. c. 4.*

Negotium aliud ſimulatum.

Iphicrates, cum adverſus Lacedæmonios pluribus diebus caſtra cominùs haberet, & utraque pars certis temporibus aſſiduè pabulatum lignatumque procederet: quodam die militum habitu, ſervos lixaſque dimiſit ad munera, milites retinuit: & cum hoſtes diſperſi obiiſſent ſimilia munera, expugnavit caſtra eorum, inermeſque cum faſciculis paſſim ad tumultum recurrentes, facilè aut occidit, aut cepit. *Frontinus lib. 1. cap. 1.*

Lyſander ad Ægos flumen cum Athenienſium ducibus imperitis pugnaturus, B infeſtis proris ſtantes & jam de nocte completas tenens naves, non eſt evectus in altum: ſed actuarias circummiſit ad eas naves, quæ in prima acie ſtabant, præcipiens, ne moverent ſe, tantùm inſtructæ conſiſterent, nec tumultuarentur vel irruerent in hoſtem. Ita recipientibus ſe ſub veſperum Athenienſibus, non ante egredi è navibus permiſit milites, quàm duæ aut tres naves, quas miſerat ſpeculatum, rediſſent, cum deſcendiſſe vidiſſent in terram hoſtes. Idem poſtero & tertio die uſque ad quartum eſt actum. Quare elati Athenienſes, cœperunt hoſtes quaſi paveſcentes deſpicere, quamvis Alcibiades exul duces moneret, ne hoſtem negligerent. Quinto die cum evecti Athenienſes fuiſſent & redirent, ut ſoliti erant, ſolutè & contemptim: emiſit Lyſander navigia ſpeculatoria, quorum præfectis imperavit, ubi Athenienſes deſcenſionem vidiſſent feciſſe, properè ut recurrerent: ac cum ad medium perveniſſent curſum, ſuſtollerent ex prora clypeum æreum, quod ſignum incurrendi eſſet. Ut clypeus elatus è navibus eſt, & tuba è navi prætoria claſſicum cecinit: incurrerunt naves, properaverunt copiæ terreſtres ſecundum littus occupare promontorium. Conon prætor A- C thenienſis, conſpecto ex terra claſſis incurſu, exclamavit protinùs, conſcenderent, anxiuſque eo malo hos ciebat, illos orabat; alios cogebat naves complere. Verùm dilapſis militibus; cum octo navibus in Cyprum evaſit ad Evagoram. Et ſic horæ ſpatio, abſque ſudore, Athenienſes & claſſe & imperio exuit, pro quo tot annis multo cum ſanguine decertarant. *Plut. in Lyſandro, & Polyænus l. 1.*

Ageſilaus in Acarnanum regionem impreſſionem fecit. Illis verò in montes refugientibus, non repentinam incurſionem fecit, ſed ad obliquas regionis oras tranſmittens, juſſit radicitùs arbores evellere. Acarnanes contempta ejus tarditate, & circa arbores occupatione, deſcenderunt ex montibus in urbes, quæ ſitæ erant in planicie. At ille noctu centum ſexaginta ſtadiis raptim percurſis, ſummo mane, deprehendens in planicie Acarnanes, magnam hominum & pecorum aliarumque rerum multitudinem abegit. *Polyænus l. 1.*

Poſthumius Coſſ. in Sicilia, cum caſtra ejus à Punicis trium millium paſſuum ſpatio diſtarent, & dictatores Carthaginenſium quotidie ante ipſa munimenta Romanorum dirigerent D aiem, exigua manu levibus aſſiduè præliis pro vallo reſiſtebat. Quam conſuetudinem contemnente jam Pœno, reliquis omnibus per quietem intra vallum præparatis, ex more priſtino, cum paucis ſuſtinuit incurſum adverſariorum, ac ſolito diutiùs detinuit. Quibus poſt ſextam horam etiam ſe recipientibus, cum inedia quoque laborarent, per recentes ſuos hoſtem fugavit.

Copiarum hoſtilium defectum, abſentiam.

☞ *Conſule infrà Tit. Exercitum diſſimulando hoſtem animare: quatenus quietem ſimulamus ob exercitus inopiam, paucitatem. Item. Celeritate ſumma hoſtem opprimere.*

Dum Heraclius Imper. contra Perſas pugnat, Hunnorum rex Chaganus fœdere violato in Byzantium agrum intravit: poſitiſque ante Longum murum caſtris, exteriora omnia loca eſt populatus. Tum Patriarcha civitatis Sergius, & patricius Bonus (quos Conſtantini filii, omniumque rerum publicarum curatores, diſcedens Heraclius reliquerat (coactam manum contra Barbaros, ſub ea opinione, quòd nullus in proximo eſſet exercitus, negligenter rem agentes, miſerunt de improviſo: atque multis millibus interemptis, reliqui cum magna turpitudine intra ſuos fines ſe recipere ſunt compulſi. *Cuſpinianus.* E

Dum Albertus dux Bruſuicenſis arcem Aſſeborg obſidet, Tiberius Comes de Everſteen, pertracto in armorum ſocietatem Archiepiſcopo Moguntino, terram invaſit Gottingenſem. Reliquerat Dux in ea Præfectum cum expedita manu. Is, quòd impar eſſet viribus, collecta equitum ala, magnam ruſticæ plebis multitudinem ſecum traxit levi armatura, & clanculò ſequutus hoſtile agmen, obſervabat, ubi caſtra ponerent. Prima nocte ad cortem monaſterii caſtrametantibus hoſtibus, Archiepiſcopus ipſe cortem ingreditur. Præfectus noctu irruens, capit Archiepiſcopum & Comitem: quorum ille anno integro captus, vix tandem à Ricardo Angelo Imperium Rom. ambiente, multo auro redemptus: hic verò perfidiæ cauſa à Duce erecta trabe per pedes appenſus fuit. *Crantzius l. 8. Saxoniæ, c. 19. & 21.*

Tempeſtatem.

Cn. Pompejo in Africam contra Domitium à Sylla miſſo F ſtabat cum infeſta acie Domitius, atque convallem prætentam habebat, tranſitu arduam & aſperam. Ibi largus cum vento imber diluculò exortus occupavit eos. Ita Domitius illo die non expectans prælium, vaſa conclamari juſſit. Id ſuum tempus Pompejus ratus, raptim agmine facto tranſmiſit convallem. Illi incompoſiti & tumultuantes, neque unà omnes, neque pariter impreſſionem excepere, ventuſque circumagens ſe, procellam incuſſit illis adverſam. Turbavit autem tempeſtas Romanos quoque non ſatis inter ſe conſpicientes, atque ipſe non agnitus penè interiit Pompejus, quòd quærenti ſignum militi tardiùs reſponderit. Fuſis magna ſtrage hoſtibus (feruntur enim ex viginti millibus effugiſſe ſolùm tria millia) Pompejum exercitus Imperatorem conſalutavit. Quo negante eum honorem ſe agnoſcere, dum ſtarent hoſtium erecta caſtra: ſi ea ſe appellatione dignarentur, priùs illa convellenda: igitur ruunt ad vallum. Pompejus prioris caſus metu ſine galea præliatur, caſtra expugnantur, cadit Domitius: urbes partim extemplò in deditionem concedunt, partim expugnantur. *Plut. in Pompejo.*

Nicephorus Uranus, Occidentis præfectus, adverſus Sa- G muelum Bulgarorum regem à Baſilio Imper. miſſus, in ripa Sperchii amnis caſtra ponit, in oppoſita ripa Samuelo ſua caſtra habente. Ingentes imbres tum deciderant, & fluvius alveo turgente ſtàgnabat: itaque eo quidem tempore prælium nullum ſperabatur. Sed Uranus ſurſum deorſumque tentato flumine, vadum invenit: eoque intelligens ſe exercitum in oppoſitam ripam traducere poſſe, noctu cum ſuis amnem tranſiit, Bulgaroſque dormientes oppreſſit. *Cedrenus.*

RELIGIONE SIMULATA.

Athenienſes, cum ſubinde à Lacedæmoniis infeſtarentur, diebus feſtis, quos ſacros Minervæ extra urbem celebrabant, omnem quidem colentium imitationem expreſſerunt, armis tantùm ſub veſte celatis, Peracto ritu ſuo, non ſtatim Athenas reverſi, ſed protinùs inde raptim acto Lacedæmonem verſus agmine, eo tempore, quo minimè timebantur, agrum hoſtium, quibus ſubinde prædæ fuerant, ultrò depopulati ſunt. *Front. l. 4. c. 7.* H

Ariſtomenes Meſſenius, cum Lacedæmonii viritim ſacrificia Dioſcuris perſolverent, cum quodam amico ambo candidos equos conſcenderunt, & capitibus aureas ſtellas addiderunt, atque nocte jam ingruente, mediocri intervallo, Lacedæmoniis extra urbem cum uxoribus & liberis feſtum agentibus, apparuerunt. Qui Dioſcurorum apparitionem eſſe rati, liberiùs vino & voluptati indulſerunt. At illi deſcendentes ex equis, ſtrictis gladiis plurimos interfecerunt, atque ſic incitatis equis diſceſſerunt. *Polyænus l. 2.*

Adoleſcentuli duo conjunctiſſimi, Panormus & Gonippus Andamnienſes, in Laconiæ fines populandi cauſa ſimul excurrere ſoliti fuerant. Fortè Lacedæmonii per feſtos Caſtoris & Pollucis dies poſt ſolemne epulum in ipſis caſtris compotationibus ſe ac luſibus oblectabant. Ibi Gonippus & Panormus in albis tunicis & purpureis lacernis, equis pulcherrimis invehentes, haſtas manibus tenentes, de improviſo ſe Lacedæmoniis oſtendere. Illi Caſtores eſſe rati, qui ſacris intereſſe ſuis voluiſſent, adorabundi occurrerunt, eorum ſibi numen precibus implorantes. At juvenes, ubi pri-

A mùm in medio recepti ſunt, tumultum & ſtragem, modò hos, modò illos haſtis ferientes, ediderunt: atque inde, violatis per contemptum & contumeliam ſacris, Andamniam impunè reverterunt. Hinc orta Caſtorum in Meſſenios ira. *Pauſanias l. 4.*

Philippus Macedo, de Scythis ſubigendis capto conſilio, miſſis ad regem ipſorum Antheam legatis, nuntiari fecit, ſe inter gravia diſcrimina belli Byzantini voviſſe ſtatuam Herculi in oſtio Iſtri collocandam: idcircò ſe amico & pacato ingreſſu ad Scythas accedere velle, publicæ religioni ſatisfacturum. Antheas ſatis intelligens, quorſum hæc aſtuti hominis religio tenderet: jubet, ut ſi obligationem voti ſolvere velit, ſtatuam ſibi mittat: pollicetúrque ſe curaturum, non modò ut ponatur, verùmetiam ut inviolata permaneat; exercitum autem fines ſuos ingredi vetat. Si verò invitis Getis ſtatuam poſuerit, eam ſe ſublaturum, verſurumque æs ſtatuæ in aculeos ſagittarum. His utrinque irritatis animis, prælium committitur: in quo cum Getarum virtute Philippus ſuperaretur, ad conſuetos dolos, & callida ſtratagemata reverſus, victor evaſit, abactis viginti millibus puerorum & fœmina- B rum. *Ioan. Magn. l. 3. c. 10.*

ABITU SIMULATO.

Iphicrates in Samo prædatus, in Delum navigavit. Samii legati venerunt, ea quæ capta fuiſſent, pretio redemptum. Qui promittens ſe eis redditurum, clam expeditam navem emiſit, & quaſi ab Athenis navigare juſſit, ac fictam epiſtolam ferre, tanquam Athenienſibus ipſum redire jubentibus. Ipſe cum Samiis amicè pace conſtituta, triremium præfectis ſolvere mandans, & abnavigans in deſertam inſulam noctes dieſque contendit. Samii cum audiviſſent Iphicratem abnavigaſſe, ſummamque legatis humanitatem præſtitiſſe, ſine metu in civitate verſabantur, & abſque metu in regione paſſim oberrabant. Quibus diſſolutè vagantibus, ille rurſus ad Samum appellens, prædam longè majorem quàm antea diripuit. *Polyænus lib. 3.*

Alcibiades movit in Byzantinos, qui defecerant, urbemque eorum circumvallavit. Cùm verò Anaxilaus & Lycurgus adjunctis quibuſdam aliis urbem recepiſſent ei pacta incolumitate tradere, ſermonem diſſipavit, rebus novis ſe circa Joniam exortis revocari: ac de die omni cum claſſe diſceſſit. Nocte reverſus, & cum militibus armatis egreſſus in terram, tenuit ſe ſilentio ſub mœnibus. Naves in portum invectæ, & impreſſionem ingenti edito clamore, tumultu, & ſtrepitu facientes, ſimul re inopinata torpidos Byzantinos defixerunt, & ſentientibus cum Athenienſibus liberum ſpatium, quòd omnes eſſent in portum & claſſem intenti, Alcibiadem recipiendi dedere. *Plut. in Alcibiade.*

Idem ad Cherroneſum, cùm ſciret Lacedæmoniorum ducem Anaxibium, exercitum pedeſtri itinere ducere: firmiſſimam manum militum eduxit è navibus, & in inſidiis collocavit; naves autem omnium, tanquam onuſtas milite, palam tranſnavigare juſſit. Ita ſecuros & nihil expectantes Lacedæmonios, à tergo ingreſſus, in itinere oppreſſit, fuditque. *Front. l. 2. c. 5.*

Antophradates, volens in Piſidas impreſſionem fa- D cere, aditum anguſtum & præſidiis munitum cernens, adduxit exercitum. Rurſúſque eum retro ad ſex ſtadia reduxit. Impetente nocte, Piſidæ, qui cuſtodiam adminiſtrabant, diſceſſerunt, exiſtimantes hoſtium exercitum abiiſſe. Ille levis armaturæ militibus & armatis expeditiſſimis aſſumptis, citato curſu anguſtias penetravit, & Piſidarum regionem vaſtavit. *Polyæn. l. 7.*

Tisaphernes in Miletum irruptionem facere, & exules reducere cogitabat. Verùm imparatus cum eſſet, rem in omnes homines divulgavit, quaſi mox jam id facturus, ita ut Mileſii omnia ex agris in urbem deportarent. Paratus autem, ſe ab exercitu deceſſurum ſimulavit, eumque non longè dimiſit. Mileſii animis mutatis, cùm exercitum dimiſſum viderent, in agros redierunt. Ille certo ſigno collectis copiis, celeriter omnes Mileſios extra civitatem diſperſos interfecit. *Polyænus l. 7.*

Velus præfectus Romanorum, arcem Tarentinorum tenens, miſit ad Haſdrubalem legatos, uti abire ſibi incolumi liceret. Ea ſimulatione ad ſecuritatem perductum hoſtem, eruptione facta, cæcidit. *Front. libr. 3. cap. 17.*

C. Jul. Cæſar per exceptum quendam aquatorem cùm E comperiſſet, Afranium Petrejumque caſtra noctu moturos: ut citra vexationem ſuorum, hoſtilia impediret conſilia, in initio ſtatim noctis vaſa conclamare milites, & præter adverſariorum caſtra agi mulos cum fremitu & ſonitu juſſit. Hoſtes arbitrati caſtra Cæſarem movere, in eo quo conſiderant loco, remanſerunt. *Frontin. l. 1. c. 8.*

Matthias Corvinus Ungariæ Rex, Sciabazium ad Savum amnem oppidum obſidens, quum longa Turcas oppugnatione defatigaret, necdum oppido potiretur, ab averſa parte maximum agmen in cæca convalle reliquit: ipſe cum cætero exercitu à fronte, illuceſcente die, pugnam aggreditur: & tota ferè die, haud intento marte certatur. Paulò ante crepuſculum certamen dirimit, & amotis caſtris, deſperata victoria, ſe abire ſimulat. Oppidani aſſiduo bello defatigati, ſe relaxant: par corpora curat, evagantur ſine timore alii, omnes hoſtem abiiſſe rati: ſi quid timebant, à fronte curabant, quæ ad proficiſcentem hoſtem ſpectare videbatur: à tergo nihil mali formidabant. Ingruente jam nocte, qui in inſidiis reſederant, ex compoſito ab averſa parte oppidum adorti, priùs mœnia conſcendere, quàm oppidani animad- F vertiſſent. *Bonfin. l. 3. Dec. 2.*

Benedictus Piſaurus, Venetæ claſſis præfectus, quia indicio comperiſſet, Turcorum claſſem in Ambracio ſinu ſedere, ad eam opprimendam animum adjecit. Cæterùm ut hoſtem ab omni eorum, quæ parabantur, ſenſu averteret, partem claſſis multò maximam Neritum miſit, quæ ſubito appulſu inſulanos tumultuosè invaderet. Quum de Nerito hoſtes jam ſoliciti eſſent, ipſe cum octo triremibus ex omni numero lectis celeri curſu ad hoſtem contendit. Coeunt Ambraciæ & Epiri montes in arctum, relinquuntque anguſtias quatuor ſtadiorum ſinum intrantibus, quem Ambracium veteres dixere, nunc Lartæ eſt. Huc ſecunda Venetus tempeſtate delatus, ſinus anguſtias ferociter invadit; inde cum tumultu & accolarum trepidatione latè longèque per internos fluctus evagatus, hoſtilem adeptus claſſem, triremem unam incendit, igni ad hoſtium terrorem injecto, undecim triremes armis & commeatu onuſtas à Venetarum puppibus religat, frementibuſque circa littus Barbaris ac ſævientibus, per denſa hoſtium tela, & crebros tormentorum ictus, in altum abductas, ovanti ſimilis Corcyram pertraxit. *Sab. l.* G *2. Enn. 11.*

ADVENTU OCCULTATO.

Gallorum regina Fredegundis, virum Chilpericum per adulterum Landricum occidi curarat, atque ſimul cum adultero Galliarum regnum adminiſtrabat. Ei bellum intulerat Childebertus Auſtraſiæ rex, ingenti Longobardorum exercitu adjutus. Cui audax regina, cum impubere filio Lothario, atque adultero, cum magno exercitu obviam prodiit. Cùm non longè à Bruniaco (id oppidum eſt in ea Galliæ parte, quam nunc vulgò Campaniam dicunt) hoſtilibus caſtris propinqua eſſet, ut improviſa hoſtem adoriretur, calliditate mira uſa eſt. Nam arborum ramos haud paucos frondoſos præparari juſſit, quos quadruplici ordine ante agmen præmiſit, atque inter eos tintinnabula quædam immiſcuit, quæ cùm ſenſim procederent ſpeciem armenti in ſylva depaſcentis præbuere. Sylvam in qua armenta agerent, hoſtes rati eſſe (neque enim, quia non- H dum certa lux erat, diſcerni fraus poterat) caſtris eorum Fredegundis, priuſquam hoſtes armarentur, atque prodire in aciem poſſent, appropinquavit. Inermes igitur, atque nihil tale verentes, adorta fudit, atque in fugam compulit. *Fulgoſ. l. 7. c. 4. & Æmilius.*

Simili ſtratagemate Magduffus Machabæum Scotorum regem oppreſſit, cùm milites ſylvam Birnam exciſam manibus geſtantes, arcem Douſinnam repentè invaſiſſent. ☞ *Vide Tit. Oracula mortis non rectè intellecta.*

Hako Hamundi filius, fratrum ſuorum à Sigaro Danorum rege cæſorum mortem ulturus, in portum, qui Heruvig. h. e. Exercituum ſinus, dicitur, militem exponit, & ſparſis trifariam copiis, geminam navium partem, paucis remigio deſtinatis, ad Suſam amnem præmittit, quæ per obliquos alvei flexus ancipiti navigatione progrediens, peditibus, ſi res poſceret, ſubſidium miniſtraret. Ipſe cum reſiduis pedeſtri itinere facto, ſylveſtribus maximè locis, ne cerneretur, inceſſit. Et ne progreſſis in planum arboreum deeſſet umbraculum, ramalia ab eis incidi geſtarique præcepit. Præterea ne quid properantibus oneri foret, veſtium partem ac vaginas abjici, nudoſque gladios deferri juſſit. Ob cujus facti memoriam æternum monti vadoque

doque cognomen reliquit. Ita binas vigilum ſtationes noctu fruſtratus, quum in tertiam incidiſſet, mox ſpeculator inſolitum factum contemplatus, Sigaro regi dormienti ſtupendæ rei nuncium attulit, frondes humano more ambulare. Rex ex oraculo fatum ſibi imminere ſentiens, relicto oppido in planiciem deſcendit, prælio hoſtes excepturus. Itaque apud locum, qui vulgò Wvalbrunna, h. e. Cadaverum vel ſtragis puteus appellatur, infelici pugna occubuit. *Saxo lib. 7.*

Thietmarſi, anno 1317. Joanni Largo Comiti Holſatiæ in Wvagria ſuppetias contra Gerardum Magnum & Joannem fratrem Comites Stormariæ ferebant. Gerardus, primo diluculo juſſit ſingulos ramum præ ſe ferre virentem, ut latitarent ſub ſpecie nemoris. Sic nihil opinantibus Thietmarſis ſupervenere Hollati, & cæſis ad quingentos, cæteros in rivo Brunſingo demerſere. *Crantzius l. 9. Saxoniæ, c. 9.*

FUGA, METU SIMULATO.

☞ *Confer ea, quæ paulò ante ſub Loci ſecuritate, in medium attulimus: quatenus ſimulando metum, in loca iniqua perducitur hoſtis.*

Major Cyrus, cùm trans Araxem fluvium feciſſet caſtra, timenti ſimilis, Maſſagetis in ſe irruentibus reliquit diripienda: quos cibo potuque graves, ac ſomno deditos, alta nocte adortus, cum ſuo rege trucidavit. *Sab. l. 6. c. 6.**

Iphicrates in Thracia, cùm hoſtes propè caſtra haberent, inter utroſque noctu ſylvam incendit, & relictis ſarcinis, multiſque quadrupedibus, fumo tenebroſiorem nocte efficiente, diſceſſit in locum arboribus denſum, & umbroſum. Illuceſcente die, Thraces ad caſtra progreſſi, cùm neminem Græcorum inveniſſent, ad ſarcinarum & quadrupedum rapinam ſeſe verterunt. Iphicrates diſtractis ſuperveniens ex eo loco cum inſtructa acie, tum hoſtes profligavit, tum ſarcinas vindicavit. *Polyæn. l. 3.*

Rhodii bellum gerentes cum rege Ptolemæo, apud Epheſum erant. Chremonides Ptolemæi navarchus ſolvit, ut navalem pugnam faceret. Agathoſtratus Rhodius eduxit ad Meliam naves, viſuſque ab adnavigantibus hoſtibus, retrò naves reduxit. Brevi tempore interjecto, ad eundem portum reverſus eſt. Hoſtes arbitrati eos non audere prælium committere, clamore ſublato, in portum redierunt. Agathoſtratus reverſus, ex inſperato irruptione facta, victoriam eſt conſecutus. *Polyæn. l. 5.*

Tomyris Cyro adverſus ipſam expeditionem faciente, ſimulabat ſe hoſtes metuere. Cùm in fugam ſe Amazonum exercitus conjeciſſet, & ſequeretur Perſicum agmen, deprehendit in Amazonum caſtris magnam copiam vini, commeatus, victimarum: iis affatim & largiter fruebantur per totam noctem, quaſi victoriam conſecuti. Cùm multo vino luxuque obruti jacerent, ſuperveniens Tomyris, Perſas unà cum rege trucidavit. *Polyæn. l. 6. & Iuſtinus.*

Tiberius Gracchus in Hiſpania certior factus, hoſtem nopem commeatu laborare, inſtructiſſima caſtra omnibus eſculentis deſervit: quæ adeptum hoſtem, & repertis intemperanter repletum gravemque, reducto exercitu, ſubitò oppreſſit. *Frontin. l. 2. c. 5.*

Grimoldus dux Beneventanus, cum ingenti exercitu in Galliam Ciſalpinam movens, Papia Pertharitem, Mediolano Gundibertum Aripetti filios expulit. Clodoveus Francorum Rex copias ſtatim in Italiam miſit, quæ adoleſcentes in regnum paternum reſtituerent. In Transpadana regione caſtris poſitis, Longobardi ſimulata fuga, caſtra rerum omnium copia, ac vini potiſſimùm plena relinquentes, haud longè in inſidiis conſtiterant. Galli verò caſtra ingredientes, epulis & vino replentur. Supervenientibus hoſtibus, cum ſomno etiam gravati paſſim jacerent, ab hoſtibus propè ad internecionem cæſi fuere. Locus cladis prope Haſtam urbem adhuc hodie Francorum rivus dicitur. *Platina in Eug. I. Paulus Diaconus. Sab. l. 6. c. 6. Bonfinius l. 8. Decadis 1. & Æmilius.*

Chriſtiani Ptolemaida obſidebant, in ſumma rerum omnium difficultate. Milites famis impatientes, ad triginta millia conglobati, ibant, ut rabidi, ut furore perciti: vel in conatu emori, vel victores ingredi caſtra hoſtium in animum inducebant. Barbarus non auſus munimentis fidere, per averſam caſtrorum portam ſuos eduxit, relictis tentoriis, publica privataque opulentia, & quod maximè peti ſciebat, commeatu plenis: unum venenum ad obruendum capiendumque improvidos deerat, vinum, quia Saraceni eo non utuntur. Vacua & aperta ingreſſi, cibo avidè replentur: vociferantibus ducibus, ſed fruſtra, cavendas callidiſſimi hoſtis inſidias, ne repentè ſuperveniens, incautos opprimat. Saladinus longo, ut falleret, circuitu, exercitum compoſitiſſimum, inſtructiſſimumque duxit in eum locum, unde in regredientes impetum facere poſſet. Nec vanum conſilium cecidit. Cecidere hoſtium ferro, qui procerum ſuorum præceptis parere noluerant. *Æmil. l. 6.*

LOCO IRRUPTIONIS DISSIMULATO.

☞ *Sic frequenter urbes capiuntur. De quibus infrà.*

Cùm Tiſaphernes primùm Ageſilai formidine pepigiſſet cum eo, urbes Græciæ ſe permiſſurum, ut liberæ legibus ſuis ſub rege eſſent: mox evocatis à rege ingentibus copiis, indixiſſet ei bellum, niſi Aſia excederet: cupidè accepit violatum fœdus, ac velut Cariam petiturus caſtra movit. Poſtquam illic exercitum Tiſaphernes contraxit, in Phrygiam ſubitò convertit agmen, complures urbes cepit, & magna pecuniæ vi potitus eſt. *Plut. in Apoph. Front. l. 1. c. 8. Polyæn. l. 2.* pro Phrygia Lydiam habet.

Domitianus, cùm Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret, majore bellum molitione inituros, ſi adventum tanti ducis præſenſiſſent, profectionem ſuam ſenſu obtexuit Galliarum. *Front. l. 1. c. 1.*

AUDACES REDDERE HOSTES, ET ad Pugnam, Eruptionem, Irruptionem, Oppugnationem quacunque ratione elicere. In inſidias præcipitare hoſtem.

Inſidias Latini ab inſidendo dixerunt, quoniam occultè loca ab hoſte inſidentur, ex quibus impetum faciat. Græc. ἐνέδρας, *ab* ἐνεδρεύειν. *Ad quod genus ſtratagematis cùm ſylvæ ſint aptiſſimæ, ab Italis non ineptè Emboſchade dicuntur. Etſi autem Inſidiarum nomen generale eſt, huic tamen loco potiſſimùm convenit, in quo de Eliciendis hoſtibus agitur, ut in inſidias incidant: quemadmodum & alteri, ubi de Securitate hoſtibus injicienda tractavimus. Qui quidem Tituli inter ſe ſic ſunt affines, ut iiſdem ferè exemplis illuſtrari poſſint, diverſo tantùm reſpectu: illic Prudentia, hic Fortitudinis vitatæ ratione habita, quarum illam Securitas in non providendo, hanc Temeritas in aggrediendo excipit.*

SUORUM ADVENTUS, AUXILII SOCIORUM SPE.

Seuthes, Athenienſibus maritimas regiones per Cherroneſum populantibus, duo millia Getarum levis armaturæ conduxit, eoſque more hoſtium irruptionem facere, ignique regionem vaſtare juſſit, & in eos, qui in muris conſiſterent, tela conjicere. Hæc Athenienſes conſpicati, & hoſtes eſſe Thracum ex his, quæ patrabantur, conjicientes, audacter è navibus egreſſi, ad mœnia contendebant. Seuthes extra muros obviam Athenienſibus prodiit, & Getæ, quaſi cum illis ſe conjuncturi, poſtquam ad tergum evaſerunt, intercluſis retrò hoſtibus, hinc Thraces, illinc Getæ magnum eorum numerum occiderunt. *Polyæn. lib. 7.*

Alexander ex Epirotis adverſus Illyrios collocata in inſidiis manu, quoſdam ex ſuis habitu Illyriorum inſtruxit, & juſſit vaſtare ſuam, id eſt, Epiroticam regionem: Quod cùm Illyrii viderent fieri, ipſi paſſim prædari cœperunt, eò ſecuriùs quòd præcedentes veluti pro exploratoribus habebant: à quibus ex induſtria in loca iniqua deducti, cæſi, fugati ſunt. *Polyæn. l. 3.*

Leptines Syracuſanus adverſus Carthaginem vaſtari ſuos agros, & incendi villas caſtellaque quædam imperavit: Carthaginenſes à ſuis id fieri rati, & ipſi tanquam in adjutorium exierunt, exceptique ab inſidiatoribus fuſi ſunt. *Idem.*

Rugiani idololatræ Lubicam obſederant. Henricus Vandalorum princeps Chriſtianus præfecit populo virum fortiſſimum, ut obſidionem paucis diebus tolerarent. Ipſe nocte media ſolis duobus comitibus egreſſus, conſtituit terminum quatridui, & deſignavit locum, in quo ſe videndum cum auxiliis præberet: ſin ſpes auxiliorum nulla eſſet ex Holſatia, tum ſibi quemque conſulere juſſit. Ex Holſatia igitur & vicinis locis

equitum peditumque auxiliis inſtructus, ad præfinitum tempus & cum ſeſe oſtentans, exhilaravit ſuos, qui vano rumore Henricum ab hoſtibus interceptum audierant. Inde quàm potuit occultiſſimè exercitum ſuum circumduxit, & à mari præmiſſis equitibus admovit agmen. Rugiani à via maris equites conſpicati, gratulabundi prodierunt de caſtris obviam, ut exciperent tanquam ſuos. Henricus quadrato agmine lentè incedens, ut pedites ſecum traheret, repentè irruit in hoſtes. Servat mons victoriæ memoriam, Ranceberg etiam nunc dictus (nam Rugiani tum Rani dicebantur,) ubi cæſorum cadavera tumulata fuere. Dies Kalendarum Auguſti feſtus proinde haberi cœpit. *Crantzius l. 3. Vandaliæ, c. 22.*

HOSTIUM DEFECTIONIS, PRODITIONIS SPE.

Gruttungi Scythæ, cùm multitudine abundarent, & neceſſariis armis inſtructi eſſent, ac robore corporis excellerent, prætergreſſi interjectorum barbarorum agris, ad ripam Iſtri venerunt, ac tranſitum ſibi concedi poſtularunt. Promotus autem magiſter militum Theodoſii Magni exercitum flumini admovit, ac tranſmiſſionem eorum morari inſtituit: mox adhibitis nonnullis, qui linguam eorum callebant, ad hoſtes ire præcepit pollicitatum, ſi ſibi præmium eſſet, ſe eis ducem Romanorum atque exercitum prodituros. Profecti rem ex ſententia tranſegerunt. Ubi tempus advenit, barbari ex pacto nocte intempeſta meliorem ſuorum partem tranſmittere cœperunt, ac mox alios priorum auxilio ſummiſerunt. Promotus autem navium multitudine ad id inſtructa, eos flumen ſuperare conantes non ſolùm ex adverſo prohibuit, ſed etiam ex adverſo adortus, viros propè omnes ſubmerſit: inde in mulieres ac pueros invectus, prædam eximiam peperit. Theodoſius, qui non longè aberat, ad eam victoriam inſpiciendam progreſſus, vinculis captivos exemit, eorum opera ad bellum contra Maximum, ſi opus eſſet, uſurus. *Sigonius l. 9. Imp. occid. ex Zoſimo.*

Cùm Etruſcæ urbes, magno ſuo damno, per Guelfam atque Gibellinam factiones ſe diviſiſſent: Florentiæ rerum Guelfi potiebantur, Gibellini autem Senas habebant. Gibellini à Manfredo Neapolitano rege mille quingentorum equitum uſum, in tres menſes tantùm, ſubſidio acceperant. Quorum opera ut in tempore uterentur, Provincianus Sylvanus, magnæ inter Senenſes exiſtimationis, cogitavit optimum fore, ſi cum hoſtibus prælio decertarent, quòd minimè dubia fore victoria videbatur. Ergo duos Senenſes cives clàm miſit Florentiam, qui magiſtratui Florentino nunciarent, atque ſimul fictas quorundam civium Senenſium litteras in eandem ſententiam perferrent: ſcilicet, Urbi toti Senenſi grave bellum illud eſſe, quod cum populo Florentino gereretur, cupereque ei finem imponi: cujus culpa penes Provincianum eſſet. Itaque ſi eo tempore, quo Germani equites Senis prædatum egreſſuri videbantur, Florentini cives Senis cum copiis ſuis appropinquare vellent, permultos Senenſes, Florentinarum copiarum præſidio tectos, arma in urbe ſumpturos eſſe, atque eis Provincianum vinctum tradituros. Florentini cum exercitu Senis appropinquant, populi tumultum expectant: repentè Germani equites erumpunt, populus armatus ſequitur. Florentini inopinata re territi fugantur, Gibellina factio in urbem Florentiam revertitur. *Fulgoſ. l. 7. c. 4.*

Contra Achomatum fratrem Selimus Turcorum Tyrannus exercitum ducebat. Erant in Selimi caſtris, qui omnia conſilia Achomato clàm nunciabant. Selimus interceptis literis, necatis, qui literas conſcripſerant, gemma eorum ad obſignandas epiſtolas uſus, ſcribit interfectorum nomine ad Achomatum, maturaret proficiſci, peditatumque relinqueret: fore enim, ut ad datum ſignum excitato in caſtris tumultu, Selimus interficeretur. Deceptus his literis Achomatus, Selimum egregiè diſſimulantem omnia aggreſſus, cum exercitu & imperio vitam amiſit. *Sabell. ſupplem. l. 4. ex Iovio.*

PRÆDÆ, DIVITIARUM, THESAURORUM, ALIMENTORUM SPE.

☞ *Conſule ſuprà Tit. Metu abituve ſimulato hoſtem ſecurum reddere, quatenus hoſtis caſtra alimentis opibuſque referta eſcæ loco objicit, quibus famelici vel guloſi hoſtes capiantur.*

Archebius Heracleotes, hoſtibus continenter abeuntibus, piſcatoria navigia contraxit, eaque per carinas vinculis inſertis immobilia fecit, atque ipſe cum aliquibus hoſtium adventum in inſidiis expectabat. Tubicen, qui in arbore ſpeculandi cauſa ſtabat, conſpicatus hoſtes adnavigare cum navi longa, & duabus triconteris, & egreſſos partim prædam agere, partim navigiorum vincula ſolvere, ſignum tuba dedit. Archebius iis quos in inſidiis poſuerat, excitatis, hoſtes perdidit. *Polyænus l. 5.*

Harridas rex Moloſſorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, majorem aliquantò exercitum habente, imbellem multitudinem in Ætoliæ urbes abire juſſit, tanquam urbes ac res ſuas Ætolis concederet. Ipſe cum his, qui arma ferre poterant, inſidias in montibus & locis confragoſis diſtribuit. Illyrii timentes, ne quæ Moloſſorum erant, ab Ætolis occuparentur, velut ad prædam feſtinantes, neglectis ordinibus, accelerare cœperunt. Quos Harridas ex inſidiis fudit fugavitque. *Front. lib. 2. cap. 5.*

Cùm Athenienſibus & Megarenſibus de Salamine bellum eſſet, Solon navigavit verſus Coliadem, ubi mulieres Cereris feſtum obibant. In ipſo mari emittit Solon transfugam ad Megarenſes, qui nunciaret: Si in Coliadem navigaveritis, Athenienſium uxores capietis, choreas ducentes: modò non cunctemini. Megarenſes dolo credunt, & eò naves dirigunt. Solon verò mulieribus decedere jubet: atque adoleſcentes impuberes, muliebribus veſtimentis amictos, coronis ornatos, clandeſtinis enſibus armatos, ad littus ludere ac ſaltare juſſit. Megarenſes imberbium vultu, & veſtitu mulierum decepti, egredientes è navibus, capere tanquam mulieres conabantur. Qui ſtrictis repentè gladiis, pro mulieribus viri apparuerunt, hoſtes occiderunt, naves conſcenderunt, & Salamine potiti ſunt. *Polyænus l. 1. & Ælian. l. 3.*

Locri, cùm à Sempronio Graccho collocatis ſignis urgerentur, univerſas copias cinxere plauſtris, quæ impleverant fortiſſimis viris, muliebri veſte tectis. Sempronium quoque tanquam adverſus feminas audentiùs ad obſidendos hoſtes conſurgentem, hi qui in plauſtris erant, egreſſi fugaverunt. *Front. l. 4. c. 7.*

L. Paulo Æmilio, cum Perſeo dimicaturo, cùm læta portendiſſent exta, defendentibus ſe, non laceſſentibus hoſtem, inclinato in veſperum die, ab ipſo Paulo quidam auctores ſunt, quò hoſtes pugnam primi laceſſerent, ſtruente, equum fuiſſe detracto fræno expulſum, & nonnullos Romanos ad eum retrahendum emiſſos, atque hinc, dum hi perſequuntur equum, contractum certamen. Alii Thrachar, quibus præerat Alexander, in apportantia pabulum Romanorum jumenta impetum dediſſe: adverſus hos, ſeptingentos Ligures acriter excurriſſe: atque cùm plures utriuſque ſubſidio venirent, ita commiſſum prælium. *Plut. in Æmilio.*

Alexius Angelus Byzantius Imperator, Ibancum rebellem in ordinem coacturus, miſit adverſus eum Protoſtratorem Manuelem Camyzem, ad montem Hæmum. Ibancus plurimis pecoribus ex ſpeculis in campos agi, & à popularibus ſuis cum parte Græcorum captivorum in Hæmum ad Joannem Zogaræ principem, cum quo fœdus contra Græcos inierat, muneris loco, & grati animi ergò duci juſſis, Græcis inſidias collocavit. Illis enim prædam eripientibus, inopinatus advenit, & Protoſtratorem cepit. *Nicetas l. 3.*

Namurcius Gallorum, qui Hiſpanos Baroli obſidebant, dux, in Apulia peramplo ſubnixus equitatu paſtoribus edixerat, omne pecus in herbidos Cerignolæ campos paſcendi cauſa deducendum, quando ipſe ejus tractus paſtiones ab injuria hoſtium diſpoſitis præſidiis eſſet defenſurus. Ea res à ſpeculatoribus delata ad Hiſpanos, multos eorum ad prædam excivit: jure autem eo agminis ordine, ut tertia pars expeditis armis inſtructa, pecora ſimul & paſtores invaderet, reliquæ porrò duæ partes in inſidiis conſiſterent, & effuſum in prædatores Gallorum præſidium aggrederentur. Nec dolo compoſito eventus defuit. Galli enim, ubi primos hoſtium invadentes turbanteſque pecoris greges, & paſtores in fugam conjectos conſpexere, in eos extemplò impetum fecerunt, tantaque vi eos refugere ſimulantes perſecuti ſunt, ut in inſidias inciderent, & plerique eorum caderent, ac multò plures caperentur. Sed id ex voto maximè lætum facinus, Fortuna dolis libenter illudens, è manibus Hiſpanorum celeriter eripuit, cùm valida Gallorum manus, quæ Canuſio ad incertam ſpem prædæ fortè exierat, hoſtibus feſſis, & in abigendo pecore occupatis occurriſſet. Improviſo enim ſuperventu hoſtium Hiſpani nequicquam expedire arma, componereque ordines &